



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros  
Decretalium, Tomus ...**

In Librum IV. Decretalium, per viginti, & unum Titulos distributum, De  
Sponsalibus, Et Matrimoniis, eorumque impedimentis, ac dispensationibus,

...

**Schlüter, Georg**

**Augustæ Vindelicorum, 1702**

Quæstio I. Ad Titulum I. de Sponsalibus, & Matrimoniis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73058](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73058)



# TRACTATUS IN LIBRUM QUARTUM DECRETALIUM.

Cum superiori libro actum sit de rebus, & Juribus Personarum Ecclesiasticarum, subjungitur liber quartus de statu Laicorum, tractans de Sponsalibus, & Matrimoniis, atque connexis; quod major pars Laicorum in statu conjugali vivat. Constat hic liber 21. Titulis, & tangitur quoad aliqua etiam in sexto, & Clement.

## QUESTIO I.

### Ad Titulum I. de Sponsalibus, & Matrimoniis.

#### PARS I.

#### De Sponsalibus.

**S**i ad valorem matrimonii non requiratur absolute, quod hujus contractum præcedant Sponsalia, seu futuri matrimonii mutua promissio; quia matrimonium valide celebratur inter illos, qui prius nunquam de illo contrahendo fecerunt mentionem, ut cum communi docet P. Gobat in *Theolog. Experim. tract. 10. n. 8.* Nam substantia matrimonii stat sine illis, ut colligitur ex *L. questum ff. de Sponsal. ibi: si vero Sponsalia non præcesserint; & ideo concubiniarius in agone (ut legitimer proles) absque Sponsalibus de futuro legitime ducit concubinam: quia tamen denunciations communiter fieri debent, & hæc sunt Sponsorum; communiter etiam Sponsalia præmitti debent. Et ideo ambo sub hoc titulo conjunguntur. Nos de utroque, distinctione facta in 2. partes, breviter dicemus.*

*Sponsalia* triplicem communiter significationem habent, ut docet Covarruvias *de Sponsalib. n. 1.* Primò enim significant munera Sponsæ dari solita à Sponso. 2. Consensum per verba de presenti in matrimonium, & sic supponunt pro nuptiis jam ritè celebratis, sed nondum conjugali copulâ consummatis, vocanturque *de presenti Sponsalia*, seu matrimonium ratum tantum. 3. demum significant promissionem futuri matrimonii, seu nuptiarum, dicunturque *Sponsalia de futuro.* Et in hoc postremo sensu hic de Sponsalibus agemus. Ex quo sequitur, non tantum eos, qui pro futuris nuptiis promissi, sed etiam, qui verè matrimonio, sed nondum consummato, addicti sunt, vocari Sponsos. Nam mulier quantumvis nupta, ante nuptialem benedictionem, vel carnis copulam, *uxoris* nomine non vocabatur. Sic Covar. *cit. n. 7.*

Tom. II.

A

ARTI-

ARTICULUS I.

De Sponsalibus, in quantum dicuntur  
promissionem.

3. Ex data Sponsalium de futuro definitione vel descriptione sequitur, requiri ad ea, futuri matrimonii promissionem; quæ, qualis esse debeat, vel sufficiat? exponemus in seqq. Haunoldus tom. 3 de Just. tract. 9. n. 2. definit promissionem, quod sit *actus liber, obligativus ex Justitia commutativa, ad aliquid alteri prestandum ex ipsius arbitrio*; quæ promissio si sumatur præcisè pro actu promittentis, & antedecenter ad acceptationem promissarii, in Jure vocatur *Pollicitatio*; & accedente acceptatione, *Promissio*: Si autem huic accedat *solemnitas*, & forma; *promissio solennis*, seu *stipulatio*. Quia tamen non desunt, qui velint, *promissionem* stare cum restrictione voluntatis ad solam obligationem fidelitatis (*actus enim agentium non operantur ultra intentionem eorum L. cum in plures §. Locator ff. locati*) ideo species obligationis in definitione posita rectius omittitur.
4. Ad omnem tamen promissionem legitimam esse necessarium *animum*, seu voluntatem *se obligandi*, communis tenet, ut videri potest apud Benedict. Pereyram in *Elucidario lib. 2. Elucidat. 11. Sect. 1. n. 98.* ubi ex Lessio *l. 2. c. 18. n. 2.* docet, *eam esse spontaneam, & deliberatam fidei obligationem, factam alteri de re quapiam bona, & & possibili*; & subjungit: *non fore promissionem, si fidem non obliget*; Nam per hoc differt à nudo proposito; quod illa sit radix obligationis, secus istud; adeoque etiam non intimata vim habeat obligandi sub conditione, quod acceptetur; secus propositum. *Nemo enim se obligat, nisi qui animum habet se obligandi*, ut docet gloss in *c. literaturam, de Voto, v. proponens.* ex *L. obligationum, ff. de Actionib. & Obligat.*
5. Porro *legitimum* dicitur, quod fit, vel omittitur, lege approbante, vel permitte. Nam *legitimè factum*, importat *factum, & modum*, ut ait Menoch. in *Reg. factum legitimè, de Reg. Jur. in 6.*; vel, ut docet Abbas, *c. consanguinei, de Re judicata, factum, Juris ordine servato.* Quoniam autem contingit, eundem actum, fieri *lege illum præcisè prohibente*, sed non *annullante*, adeoque exerceri *illicitè*, sed

*valide* (ut contingit in matrimonio contracto cum impedimento solum impediēte) fieri potest, eundem actum esse simul legitimum, & illegitimum; *legitimum*, quia conformatur legi, quoad valorem, eum approbanti; *illegitimum*, quia adversatur legi præcisè illum prohibenti, non *annullanti*. Ex utroque enim foret *simpliciter illegitimum*. Cum autem plures dubitationes oriri possint circa promissionem, ad valorem sponsalium requisitam, de his in seqq breviter dicemus.

§. I.

De Promissione Mutua.

Promissio mutua exigit *Promissarii promissionem reciprocam*, seu *repromissionem promittenti factam*, eamque vel expressam, vel tacitam, sic, ut qualibet sufficiat, teste Thom. Sanch. *de matr. l. 1. d. 5. n. 1.* Quæstio nunc est, an ad valorem Sponsalium requiratur promissio futuri matrimonii *mutua*? Responso est affirmativa: sic Joan. de Luca *l. 14. p. 2. discurs. 8. n. 4.* cum communi. Quia Sponsalia important obligationem voluntariam, eamque mutua, quæ non oritur nisi ex mutuo consensu, ut colligitur ex *L. Stichus §. naturalis ff. de Obligat.* cum Sponsalia numerentur in *pactis*, quæ requirunt duorum, vel plurium consensum in idem, ex *L. 1. ff. de Pactis. 2.* quia aliàs uni Sponsorum (qui scilicet non promissit) pro libitu liceret à Sponsalibus recedere, contra communem. 3. quia Sponsalia *mutuo consensu* dissolvuntur; ex *c. Præerea h. t.* quod non fieret, nisi mutuo consensu contracta essent. 5. quia valdè probabile est, ex eo *Sponsalia* in numero *plurali* dici, quod requirant duplicem promissionem, præferim, quod à Juris-Consultis ex *cit. L. 1.* vocentur *repromissio*, id est, *promissio reciproca*, seu ut notat Pereyra *cit. n. 969.* *promissio promittenti facta*. Ex hoc enim ipsi contrahentes dicuntur *Sponsi*, seu *promissi*.

§. 2.

An promissio prius obliget, quam acceptetur?

Ante resolutionem supponendum, 7. obligationem; aliam esse *Naturalem*, aliam *Civilem*; illa est, quæ oritur ex vinculo Juris naturalis, & obligat in foro Conscientiæ, licet ei Jus humanum non

non concedat actionem; ista verò, cui conceditur actio in foro externo; si autem oritur solum ex quadam honestate, & decentia, *naturalis* quidem vocari solet, sed minus propriè, nec aliud est, quàm debitum honestatis, & decentiæ; his præmissis, Resp. I. ex simplici promissione (quæ intelligimus consensum promittentis nondum acceptatum) nullam nasci obligationem *naturalem*. Ita Lessi. l. 2. de *Jusf. c. 18. d. 6. n. 38.* cum communi. Ratio est, quia nulli invito jus acquiritur; aliàs positivè nolenti *habere alterum obligatum*, posset quis naturaliter obligari.

2. Quia nemo vovens obligatur DEO, votum non acceptanti; ergo consensus meus, licet ex parte meâ sit perfectus, me non obligat naturaliter, cujus ratio est I. quia etiam promissio simplex tacitè imbibit conditionem, *si alter velit*, ut notat Gobat. cit. tr. 10. n. 21.

3. Secundò, quia ante promissionis acceptationem, nondum habetur unio voluntatum, inter promittentem & promissarium, sine qua nec fidelitas, nec Justitia obstringit; aliàs enim, qui legem, vel obligationem aliquam constituit, potestate absolutâ, & liberâ (nimirum independente ab alio) quamdiu talis manet, non posset illam licitè revocare invito altero, licet hic illum nollet habere obligatum. Cujus ulterior ratio est; quia nostri actus merè interni, adeo secreti sunt, ut nec ab Angelis naturaliter cognosci possint; nobis non volentibus, ac (ut in tractatu de Angelis probavi) nobis non manifestantibus immisione specierum ei, cui notas volumus; ergo quamdiu subsunt huic naturali secreto, sunt sub pleno dominio nostro, non tantum, ut possimus eos liberè occultare, vel revelare; sed etiam sine ulla Injustitiâ, vel violatâ fidei notâ, retractare absque ulla alterius voluntate (hoc enim exigit plenum dominium) ac sic nullam pariunt copioso Justitiæ, vel fidelitatis obligationem; ergo.

4. Confirmatur; quia *Jus activum* (nimirum strictæ Justitiæ) est facultas legitima percipiendi formaliter, & directè commodum libertatis propriæ ex usu alicujus rei, ut aliàs docui in Theolog. de *Jur. & Jusf. q. 1. a. 1.* hæc autem nulli acquiritur invito. Nam eo titulo dicitur facultas legitima, quòd sit munita fa-

vore legis, aut pacti legitimi; qui autem talem favorem, vel nescit, vel non vult, Jus non acquirit, ut patet ex plurimis exemplis, *heredis, hereditatem respuentis; vel, legatarii legatum non acceptantis* &c. Nam Jus activum adversus eum, qui ex Justitia obligatur, fundatur in illius voluntate, qui dicitur habere tale Jus. Obligatio enim Justitiæ ex conceptu suo promensura habet voluntatem alterius, in commodum suæ libertatis alterum obligantis juxta favorem legis, aut pacti legitimi, quo illi jus constitutum est: ergò ante voluntatum unionem, atq; adeò ante promissionis acceptationem, Promissarius ex natura rei nullum jus acquireret exigendi promissum, nec promittens obligationem præstandi debitum.

R. 2. Ex simplici promissione nullam quoque nasci obligationem *Civilem*. Nam pacto nudo non conceditur actio Jure Civili, sed tantum exceptio, ut dicitur L. *Juris gentium* §. *sed cum nulla ff. de pactis.* & L. 10. C. *eodem*; ergo à fortiori, nec simplici promissioni, quæ est quid inferius pacto nudo. Sed nec in Jure Canonico habetur, quòd promissioni simplici concedatur actio. Et ideò, quamvis Episcopo (in c. *si tibi absentis, de Præbend. in 6.*) prohibetur sit, post beneficium absentis collatum, pœnitere, vel illud conferre alteri ante collatarii resolutionem; restrictio tamen potestatis non est ex jure acquisito Promissario ante acceptationem (ut rectè notat Flamin. de *Resign. benefic. l. 10. q. 8. à n. 5.* Sanch. l. 1. d. 7. de *matr. n. 20.* & l. 3. D. 36. n. 4.) Sed ex mera dispositione Juris, eò, quòd Episcopus conferat beneficium ex necessitate, cum sibi retinere non possit; & collatione semel factâ jam functus sit officio suo, sic Gonzalez ad 8. *Regul. Cancell. gloss. 26. n. 14.* Covar. l. 3. *Variarum c. 16. n. 1.* apud Barbof. in cit. c. *si tibi absentis.*

Pro his, quæ sunt in contrarium, not. I. quando l. 10. ff. de *Donat.* dicitur: donatario non acquiri dominium rei donatæ, licet apud eum sit, si nescit donatam esse, nisi eâ mente servo data sit, ut statim ejus fiat: potius confirmati, quàm impugnari dicta. Ex hoc enim habetur, donatione, quantumvis ex parte donantis perfectâ, rem donatam non transire in dominium donatarii ignorantis, nisi ejus loco servus acceptet, qui etiam, inscio domino, ei acqui-

acquirere potest, ut colligitur ex l. 4 de Pollicit. ibi: *cum non appareat mutata esse domini voluntas*, cuius loco servus acceptare potest, ut dictum est. Not. 2. Concedi, Fidelitatem obligare ad præstanda facta conformia verbis, seu promissioni, quando promittentis consensus perfectus est, *unione utriusque voluntatis*, ut exposui n. 8. non autem, quando perfectus est solum ex parte promittentis; alias obligaret me illi, qui non vult me sibi obligatum, adeoque etiam invito jus nasceretur.

12. Not. 3. Cum dicimus: *obligationem non nasci ex promissione, nisi accedat ejus acceptatio*, debere intelligi de acceptatione, vel ipsius Promissarii, vel alterius, qui ejus nomine aut stipulari, aut acceptare legitime potest. Hinc, quando l. 3 ff. de Pollicit. dicitur: *promissum, ex pollicitatione Reipubl. factum, ob honorem ab illa acceptum posse quasi debitum exigi*. Item, *omnino modo teneri eum, qui Reipubl. promisit ob incendium, ruinam: aut à petitione repellendum*, qui rem ex pollicitatione traditam municipibus, vindicare velit; negandum esse, *nullam intervenire acceptationem*, etiam tacitam, seu *factam*, nimirum inductam dispositione Juris, ejusmodi promissiones acceptantis, seu recipientis causâ boni communis. Neque per hoc textui fit vis aliqua, quasi *pollicitatio* in significatione sua per hanc explicationem impropriaretur; Lex enim non loquitur de *pollicitatione* strictè sumpta, prout supponit pro nudo actu promittentis; sed prout conjuncta juris dispositioni; ne dicamus etiam invito, aut positivè nolenti jus acquiri.

13. Not. 4. Cum dicitur, dari quasdam pollicitationes (quas dicunt *privilegiatas*) quæ naturaliter obligant ante acceptationem (quales esse volunt illas, quæ sunt *firmate juramento, factæ Ecclesie, hospitali, vel alteri pie causæ*) dupliciter posse responderi. 1. Negando, si velint eas obligare ante *omnem* acceptationem, vel veram, vel *factam*, nimirum juris dispositione inductam, quoad effectum obligandi. 2. Negando simpliciter (quod naturaliter obligent, etiam juris privilegio) ut docet Layman in *Opere morali*, l. 3 tr. 4. c. 1. n. 3. Less. cit. n. 38. Pirhing de *Pactis* §. 1. n. 2. & Alii? Quia nec in jure naturali, nec humano, talis favor, aut vis obligandi, ante

omnem acceptationem, illis concessa reperitur.

Hinc advertendum, cum negamus promissiones juratas, ante acceptationem obligare *naturaliter*, debere intelligi non de juramento per se stante (hoc enim obligare potest, etiam non obligante promissione, sed solum in *vi Juramenti*, hoc est, Religionis, non autem in *vi promissionis*, seu Justitiæ, aut fidelitatis) sed de juramento purè accessorio promissioni, Nam, si hæc, antequam acceptetur, non obligat in *vi* promissionis, nec juramentum obligat in *vi* religionis; cum tanquam accessorium sequatur naturam sui principalis. Sic Gobat cit. n. 21. & alii communiter.

Not. 5. Ex eo, (quod debitor irrevocabiler acquirat libertatem à debito, etiam ante suam acceptationem, ex sola voluntate creditoris liberaliter condonantis) non bene sequi, Promissarium irrevocabiler acquirere jus ad promissum etiam ante suam acceptationem ex sola voluntate promittentis, liberaliter promissum offerentis; quia paritas in multis fallit. Ut enim in me jus designat, & debitum in altero, sufficit perire unum ex constitutivis juris; ut autem mihi *jus acquiratur*, non sufficit poni unum constitutivum juris, ut per se patet.

Ex dictis Colliges 1. Promissionem simplicem (nimirum nondum acceptatam) nullam parere obligationem, vel naturalem, vel Civilem ex n. 7. Et 10. adeoque non sufficere ad Sponsalia (ita Sanch. l. 7. matr. d. 6) cum sic deficiat repromissio, & voluntatum unio. Colliges 2. promissionem non acceptatam, semper licitè revocari posse, quamdiu talis manet, esto firmata sit juramento, promissioni accessorio; cum id nec naturali, nec humano jure prohibeatur. Castropal. cit. d. 1. de Sponsal. p. 3. n. 2. & sequitur ex dictis.

Dices tamen: ut jure Canonico (cui in materia Sponsalium, & matrimonii standum est) promissio alteri facta obliget, acceptatio non requiritur, ut patet ex c. *Veniens* 5. *Qui Clerici, vel vocentes Ec. ubi promissio, absenti facta, valida statuitur, quin ulla mentio acceptationis fiat.* Sed Resp. in illo casu acceptationem esse factam per interpositam personam, quæ mandatum habuit, ut testatur ibidem Gloss. in *V. promisit*, ubi noranter addit, *aliàs*

aliquid nihil esset, si scilicet nec per alium promissio absentis facta foret acceptata: Licet autem in textu *hujus* mentio non fiat; tamen hoc ipso, quod jus approbet, ut validam, promissionem factam absentis, denotare voluit, absentis nomine alium acceptasse; cum ex nullo contractu obligatio oriri possit, nisi ex mutuo consensu, ut colligitur ex L. 1. ff. de Pactis. §. in his, Instit. de Empt. & Vendit. L. contractus C. de Fide Instrument. L. 2. ff. de Actio. & Obligat. & per Barbof. in cit. c. Veniens n. 3. promissio absentis facta, nullo pro eo acceptante, sit revocabilis in utroque foro ante acceptationem.

18. Dices, 2. promissio matrimonii facta *infanti*, revocari non potest, quousque infans veniat ad ætatem, in qua sit aptus acceptando, vel rejiciendo, quod sibi promissum est, argum. L. Jubemus. C. de Emancip. liber. Sed Resp. Negando Ant. ita Coniach. D. 22. d. 6. n. 36. contra Sanch. de matr. l. 1. d. 6. n. 27. Nec urget paritas ab Emancipatione. Hæc enim liberat filium ab obligatione, quam fundat in illo jus, concessum parenti ex privilegio juris positivi, cui pater, etiam invito filio, renunciare potest: ac promissio non inducit obligationem ex aliquo, quod soli promittenti liberum est. Plus enim ad acquirendum, quam amittendum jus, requiritur, ut dictum est n. 15.

## §. 3.

An, acceptans promissionem matrimonii, hoc ipso tacite repromittat?

19. Affirmativam sequitur Basilus Pontius l. 12. de Sponsal. c. 4. n. 2. & 10. sed negativa probabilior est, quam tenet Sanch. l. 1. d. 5. Castropal. d. 1. de Sponsal. p. 3. n. 8. de Luca l. 1. q. 2. decisio. Rotæ, discursu 8. n. 4. & alii. Quia acceptatio promissionis absolutæ, ac merè liberalis, nec tacite est repromissio, seu reciproca promissio promittenti facta; ut manifestum est in acceptatione donationis, legati &c. 2. Quia in dato casu puella non acceptat matrimonium absolutè contrahendum, sed tantum datam fidem, seu promissionem sibi factam de matrimonio contrahendo, si ipsa voluerit; hæc autem datæ fidei acceptatio nullo modo est repromissio; quia certum est, quod longè diversa sint, absolutè

acceptare fidem datam de matrimonio contrahendo, cum acceptans voluerit; & acceptare matrimonium absolutè contrahendum: ergo ex vi primæ acceptationis non inferitur repromissio matrimonii, per promittentem fidem datam oblata.

Hinc sequitur 1. negandum esse, quod 20. omnis promissio futuri matrimonii, naturâ suâ, sit *conditionalis*, aut necessariò respectiva ad repromissionem contrahendi absolutè matrimonii, licet sit acceptatio datæ fidei, præstandi futuro tempore contractum, si alteri placuerit; & ideo ea promissio fieri potest citra onus impositum promissario, solâ intentione se, non alterum, gravandi, ut etiam tenet Pereyra cit. l. 3. n. 665. Sequitur 2. contra Pontium rectè negari, omnem promissionem matrimonii futuri, esse naturâ suâ *essentialiter alligatam* repromissioni futuri matrimonii, *tanquam conditioni*. 1. quia non est de natura promissionis, ut sic, prout dictum est. 2. quia nec est de natura promissionis futuri matrimonii, esse *promissionem per modum contractus onerosi*; quid enim prohibet, eam esse *purè liberalem*, & *absolutam*? & acceptari ut talem à promissario, quatenus est in sui favorem, habere alterum sibi obligatum, relicto sibi tempore deliberandi, quid expediat? an contractæ ab altero obligationis executionem urgere? an obligationem remittere?

Hinc, esto transmittatur, quod, si viro 21. dicente: *accipio te in meam uxorem*, mulier respondeat: *placet mihi*, vel *accepto*, hæc acceptatio sit saltem tacita repromissio matrimonii de præsentibus; negatur tamen, quod si viro dicente: *accipiam te in meam uxorem*, mulier respondeat: *placet mihi*, vel *accepto tuam promissionem*, hæc acceptatio sit, saltem tacita repromissio matrimonii de futuro, si loquatur de promissione pura, & merè liberali. Nam, quando vir dicit: *accipio te in meam uxorem*, vir per actualem suam promissionem (quantum est ex se) intendit mulieri constituere *ius in re*, seu *reale sui corporis ad usum conjugalem*; hoc autem jus mulier sine repromissione non potest acceptare. 1. quia *ius reale* in corpus viri ad usum conjugalem, ex solo contractu conjugali nascitur, qui non stat sine repromissione mulieris. 2. quia si mulier sine repromissione illud jus reale à viro, ex parte sua

absolutè oblatum, acceptaret, quin & ipsa repromitteret, acceptaret jus reale ad copulam *cum non suo*: at in secundo casu, vir per actualem suam promissionem non intendit mulieri constituere *ius in re*, seu *reale in suo corpore ad usum conjugalem*, sed tantum *ius ad rem*, seu *personale*, consequenter constituit solum in se obligationem, si mulier voluerit, ipsi futuro tempore constituendi jus in re, seu reale ad usum conjugalem. Certum autem est, quòd acceptans jus ad rem, seu personale, ab altero exigendi futuro tempore celebrationem contractus, acceptando tale jus se non obliget ad contrahendum. Nam Emphyteuta, pretio volens alienare rem Emphyteuticam, obligatus est illam, præ alio, vendere Domino directo, si hic velit; quin per hoc Dominus directus obligatus maneat ad eam emendam; vel, quin acceptando illud jus in Emphyteutam, etiam tacitè repromittat emptionem de futuro.

22. Et quamvis in tali promissione agatur de matrimonio *in futurum contrahendo*, non tamen sequitur, quòd ille, qui promittit alteri matrimonium pro futuro tempore, postulet ab altero, ut secum consentiat in illud; nam licet verum sit, quòd in tali promissione agatur de *matrimonio contrahendo*; hoc ipsum tamen fieri potest, ut agatur de illo contrahendo, vel *absolutè*, vel *si mulieri placeat*. Unde, si mulier acceptet fidem datam, & consentiat in postulatum per promissionem factam secundo modo, negatur eam hoc ipso repromittere, ut patet ex ipso casu. Hinc etiam negatur, promissionem de futuro matrimonio, habere se *instar permutacionis*, ut vult Pontius; ad summum enim habet se *instar promissionis de futura permutacione*. Unde, sicut acceptans promissionem futuræ permutacionis, non absolutè consentit in permutacionem faciendam, sed solum in fidem datam de illa à promittente præstanda, si alteri placuerit; sic res se habet in acceptatione promissionis matrimonii contrahendi, si ipsi placuerit (nam aliud est *permutacio*, vel *venditio*; aliud *pactum*, seu *promissio* de permutando, vel vendendo, ut inquit Jason in *L. Bone fidei ff. de eo, quod certo loco*. apud Pyrrhum Corradum *praxi dispens. Apostol. l. 7. c. 6. n. 26.*) atqui ibi non fit *repromissio*

faciendi permutacionem etiam de futuro; ergo nec hic repromissio contrahendi matrimonium etiam de futuro.

Nec urget, quod Pontius adducit *de 23. Venditore*. Nam Venditor, etiam absolutè, sed merè gratis (nimirum liberaliter, liberalitate excludente obligationem) promittendi venditionem de futuro) potest promittere futuram traditionem mercis pro pretio, sub conditione, si alteri placeat, tali pretio emere, quin alter acceptando talem promissionem, repromittat pretium se daturum, ut, si acceptet reservato jure deliberandi; ergo etiam vir merè gratis, & absolutè potest promittere futuram traditionem sui corporis sub conditione, si alteri placeat pariter suum corpus reciprocè in futurum tradere, quin alter acceptans eam promissionem, repromittat suum corpus se daturum, ut, si acceptet salvo jure deliberandi, an velit, an nolit, consentire in promissionis executionem, etiam ex parte sua complendam, secundum quod alterius promissio Promissario onerosa est. Ant. pat. non tantum in casu allato *n. 21. de Emphyteuta*; sed etiam in possidente bona retractui subiecta. Nam talis habet obligationem in casu, quo veller alienare ejusmodi bona, ut ea vendat illi, qui habet proximum jus retractus, quin habens jus retractus acceptando talem obligationem, lege vel pacto inductam, etiam tacitè repromittat, vel consentiat in emptionem, etiam de futuro; cum ei semper liberum sit (etiam positâ tali obligatione acceptatâ) illa emere, vel alteri emenda relinquere, quæ possessor eorum bonorum vendere vult.

Ex hoc sequitur 1. contra Pontium *24. cit. c. 4. n. 2.* promissionem futuri matrimonii, licet acceptatam, posse esse *non mutuanam*; quia potest dari acceptatio talis promissionis, quin illa etiam tacitè sit repromissio *ex n. 19.* Sequitur 2. contra eundem *n. 10.* ex promissione futuri matrimonii acceptata, non hoc ipso nasci Sponsalia; hæc enim exigunt promissionem mutuanam *ex n. 6.* sed ea promissio acceptata potest esse non mutua; ergo. Sequitur 3. ad Sponsalia adhuc requiri promissionem, licet viro merè liberaliter promittente, femina acceptet illam promissionem solum ex titulo, ut promittentem habeat

habeat obligatum. Nam, cum ex dictis ea promissio possit esse acceptata sine illa repromissione, sine qua non stant Sponsalia, recte sequitur, ejusmodi promissionem cum tali acceptatione non facere Sponsalia; sic Castropalaus de Sponsal. p. 5. operis moralis d. 1. p. 2. n. 12.

25. Sequitur 4. quod vir promittens futurum matrimonium, vi talis promissionis maneat obligatus, si mulier promissionem acceptet, esto hæc nec tacite repromittat, in casu, quo promissio non est respectiva, & per modum contractus onerosi, sed absoluta, & liberalis. Ita Gobat in Theol. Experim. tr. 10. n. 20. Nam promissio acceptata promittentem obligat saltem naturaliter, quando est dere licita, & possibilibi, ut constat ex cit. c. qualiter, de Pactis. ibi: *studiosè agendum est, ut ea, que promittuntur, opere compleantur.* Sequitur 5. dictam obligationem non obligare in vi Sponsalium (cum in hoc casu nulla sint) sed solum in vi contractus non onerosi; hic enim claudicare potest, seu ex una tantum parte obligare, secus Sponsalia. Sequitur 6. si viro promittente futurum matrimonium sub conditione repromissionis, voluntate ad eam sic restricta, ut aliter obligatus esse nolit, mulier promissionem acceptet cum ea conditione, talem acceptationem esse saltem tacitam repromissionem, indeque confurgere Sponsalia, si cætera non desint: sic enim habetur mutua promissio fururi matrimonii.

26. Cum autem raro contingat, futurum matrimonium promitti absolute, ac merè liberaliter, sed plerumque ac regulariter sub onere repromissionis, ut rectè notat Bonacin. de matr. q. 1. p. 1. n. 7. (nisi aliunde constet de gratuita voluntate promittentis, aut is expressè significet, se purè, ac liberaliter promittere) merito præsumitur, fieri sub ea conditione voluntatem restringente, adeoque talis promissionis acceptationem esse tacitam repromissionem. In dubiis enim præsumendum est, quod communiter fit. Cæterum acceptans sine repromissione (ne censeatur promittentis animum contemnerè, vel jus ex acceptata illius promissione acquisitum remittere) non debet nimium promissionem differre, sed vel repromittere; vel se declarare, quod non cupiat

promissionis executionem, ut tenet communis.

## §. 4.

## De promissione absentis facta.

Promissionem futuri matrimonii posse 27. fieri etiam absentis, constat ex cit. c. veniens §. qui Clerici, vel vovent. Et. illam tamen semper esse revocabilem nullo acceptante, constat ex n. 8. quia sic contractus perfectus non est, consequenter ineptus, ut obligationem pariat, non revocabilem à promittente; sic Castropal. de Sponsal. d. 1. p. 3. n. 6. imò ante omnem acceptationem nec promissio dicitur, sed tantum pollicitatio ex n. 3. & constat ex L. absentis iò. ff. de Donat. his positris,

28. Quæstio est, an, ut promissio futuri matrimonii absentis facta, promittentem irrevocabiliter obliget, sufficiat, acceptari ab alio nomine absentis? Resp. si puella absentis promittatur matrimonium sub conditione repromissionis, promissionem manere revocabilem ante præstitam repromissionem, vel à puella, vel alio habente ad hoc mandatum speciale. Quia, non posita conditione, vis obligandi ex promissione conditionali suspensa manet, prout colligitur ex c. Veniens §. b. t. ubi dicitur, eum non teneri ad matrimonium perficiendum, qui in mulierem consentit, si Pater ejus suum præstaret assensum, nisi Patris voluntas postmodum accedat; cum illius consensus in alieno arbitrio non habito, sed habendo consistat. Et hoc verum est, licet alius, non habens mandatum speciale, loco absentis acceptet; quia hujus acceptatio non ponit conditionem, sub qua facta est promissio, nec etiam rarihabitionem puellæ prius, quam ei talis promissio innotescat. ut dicemus in seqq.

29. Dubitatur tamen, quid dicendum, quando puellæ absentis promittis futurum matrimonium, animo illi constituendi promissionem merè liberalem? an, si ejus loco promissionem acceptet aliquis, qui pro illa stipulari potest (ut Pater) promissio reddatur irrevocabilis, donec absens, post notitiam promissionis acceptatæ obligationem remittat? Affirmativam sequitur Sanch. l. 1. hic d. 7. à n. 3. Resp. 1. si promissio facta sit absentis, verbis ad illam

illam directis, ex tali promissione præcise acceptata à Parente absentis, non nasci Sponsalia, quia, cum acceptatio promissionis absolute stare possit sine repromissione per n. 19. stare potest cum defectu ejus, sine quo non habentur Sponsalia per n. 24.

Resp. 2. idem dicendum esse, licet in dato casu acceptet alius, qui loco absentis generaliter acceptare, vel etiam alias repromittere potest, nisi habeat speciale mandatum in præsentis casu; argumento c. fin. de Procurat. in 6. ibi: Procurator non aliter censetur idoneus ad matrimonium contrahendum, quam si ad hoc mandatum habuerit speciale. Quia, cum Parentes, nomine liberorum absentium Sponsalia, vel matrimonia contrahunt, nec Sponsalia, nec matrimonia consurgunt, sine horum consensu, vel ratihabitione, saltem tacitâ eorum, quæ in hoc puncto eorum nomine gesta sunt, ut dicemus in seqq.

30. Dices in c. sicut, 22. de Spons. juramentum (consequenter promissio, cui innitebatur) habetur validum, quo quidam juravit Patri, se ducturum ejus filiam; ergo ad valorem sufficit acceptatio talis promissionis facta à parente, prius, quam filia (cujus nomine acceptavit) consentiat, vel acceptationem ratam habeat, licet acceptans non habeat speciale mandatum. Resp. in dato casu promissionem non esse factam puellæ, sed ejus patri directè, ut patet ex casu, ibi: juravit patri; consequenter solum sequi, non esse Sponsalia contracta, ante repromissionem, vel ratihabitionem puellæ; sed tantum obligationem respectu Patris, ex vi promissionis, patri factæ, ac ab eodem acceptatæ, quod non negamus, si pater pro suo favore tantum acceptavit; respectu puellæ verò (si acceptavit in ejus favorem) solum sub conditione ratihabitionis securatur.

31. Resp. 3. si dicta promissio facta est præsentis, de absente ducenda in uxorem ex mente promittentis assumpto, ut absentis notam faciat suam voluntatem, & hic stipulando, seu acceptando acquirere possit jus, seu obligationem illi, hæc acceptatione positâ, fieri omnino irrevocabilem à promittente, donec absens intellectâ stipulatione obligationem remittat, sic enim habetur adæquata causa naturalis obliga-

tionis voluntariæ, nimirum promissio legitime acceptata. vide dicenda n. seq.

Neque dicas: ergo jus acquiri potest, 32. etiam non volenti. Resp. posse non volenti privativè (non autem non volenti positivè, seu volenti) si consensum præter alium, per quem jure acquirere potest; qualiter possunt omnes illi, de quibus dicemus à n. 34.

Resp. 4. si promissio facta sit præsentis de ducenda absente, positâ acceptatione fieri quoque irrevocabilem, absq; consensu, vel remissione illius, in cujus favorem directè acceptata est; nimirum sine consensu Parentis, si hic pro suo favore acceptavit talem promissionem, in quantum ipsi favorabile est, promittentem habere obligatum ad ducendam talem personam absentem, vel absq; consensu absentis, si promissio directè acceptata est in absentis favore. Illius enim est remittere obligationem, cui jus per acceptationem promissionis, absentis factæ, acquisitum est; acquisitum autem est ei, pro quo talis promissio legitime acceptata est. Illud tamen nota: si pater illam promissionem absentis factam pro se acceptet, in quantum sibi favorabilis est, eam sine hujus consensu irrevocabilem manere solum, donec absens, vel expressè, vel tacitè ostendat, se nolle matrimonium cum promittente contrahendum. Hoc enim positò materia parenti promissa non amplius manet ab illo exigibilis, utpote non amplius illi possibilis. vid. Barbosa in cit. c. sicut 22. de Sponsal. n. 5. & apud eum Sanch. l. 1. hic d. 7. n. 32.

Dubitatur 2. an promissio futuri matrimonii absentis facta, fiat irrevocabilis, si absentis per quemcumq; intimata innotescat, & acceptetur? Resp. probabilius negari; quia promittens non censetur absentis loqui (adeoque promittere) prout exigitur, ad eum ex pacto vel contractu obligandum, nisi per medium à se, & in eum finem assumptum, ut docet Sanch. l. 1. hic d. 6. n. 19. & Castropal. de Sponsal. d. 1. p. 3. n. 4. sed ex hoc, quod quis promissionem, à promittente factam absentis, præcise audiat, & absentis referat, non habetur, eum esse medium à promittente assumptum in hunc finem, ut per ipsum absentis mentem suam nuntiet; ergo.

Ex hoc colliges, si quis ultro, aliis audentibus, se resolvat, & polliceatur, se Titium ducturum in uxorem, quin per eos, tanquam medium à se assumptum, absenti loqui, aut mentem suam nuntiare intendat, adhuc promissionem ejus fore revocabilem, licet unus ex presentibus eam acceptet nomine absentis, ut puella referat, & hæc deinde acceptet; talis enim promissio, potius est locutio merè materialis.

In hac materia ulterius quæri potest, an quilibet pro altero stipulari possit, non obligando alterum, sed ei solum acquirendo jus aliquod ex alterius promissione, donatione &c. Resp. Jure Cæsareo non posse alterum alteri stipulari, hoc est, obligationem acquirere, seu pro eo acceptare regulariter, ut habetur §. si quis alii, & §. alteri, Instit. de inutil. stipul. Nec ad stipulandum pro altero sufficere mandatum generale, sed requiri speciale. gloss. scribi absenti. V. habueris, de Præbend. in 6. & ideo, nec fratres pro fratribus stipulari possunt; dixi regulariter. Nam quidam excipiuntur. Hinc Sanch. lib. 1. d. 7. n. 5. probabilius iudicat, matrem pro filii stipulari posse, licet illas non habeat in sua potestate. Idem de Patre pro filio, si stipuletur aliquid, dandum filio, existenti in patria potestate, modò illud dandum, sit ejus generis, ut acquiratur Patri, ut sunt bona profectitia, vel etiam si sint bona Castrensia, modò stipuletur pro filio, ut filio, vel, ut administrator legitimus: non autem tamquam pro extraneo; ita Sanch. cit.

Excipitur etiam Tutor pro pupilla, Curator pro minori, item illi, qui sunt sub aliorum potestate, ut pro his stipulari possint, filius familias pro Patre, servus pro Domino, Monachus pro Monasterio, §. si quis alii. Instit. de inutil. stipul. qui verò sui Juris sunt, non possunt acceptare loco eorum, quibus ex parte subduntur, ut famulus loco Domini, filius, sui Juris factus, loco Patris, Discipulus loco Magistri. Vid. Molinam tom. 2. de Just. iv. 2. d. 264. §. alii verò.

Posse unum pro altero sic stipulari favore pia causa, tenet communior, & verior opinio L. Cajus ff. solut. matr. ubi habetur: favore dotis posse alterum alteri stipulari, causa autem pia tantum favoris habet, quantum dos, ut docet Sanch. cit. n. 10.

Tom. IV.

B

Dices

Quando autem in c. quamquam, de Usuris in 6. non admittitur stipulatio pro altero in restitutione usurarum, ibi propterea constitutum est, quia non tam agebatur de favore causæ, quam de exoneratione conscientie, quod ad officium Parochi pertinet.

Dubitat 3. an ex stipulatione ejus, qui pro altero stipulari non potest, licet non oriatur obligatio Civilis (hoc est, licet jus ei nullam concedat actionem) oriatur tamen obligatio naturalis, & in foro conscientie? quod idem est, ac quærere, an ex promissione (non acceptata ab absente) in foro conscientie confurgat obligatio implendi? 1. sententia affirmat; cujus auctores videri possunt apud Sanch. cit. n. 17. sed verior est negativa. Nam ex stipulatione invalida, non oritur obligatio etiam naturalis; ea autem stipulatio est invalida (cum ei Lex resistat, illam irritando, ut constat ex §. si quis alii. Instit. de inutil. stipul. ubi dicitur: eum, qui alteri stipulatur, nihil agere; & L. si ita stipulatus §. Chrysofonus, Verf. nullam, ff. de Verb. obligat. dicitur: nullam prorsus oriri obligationem. Et L. certi conditio §. quoniam. verf. nulla; & verf. inutiliter. ff. si cert. petat. talis stipulatio dicitur nulla, & inutilis, & verf. idem quæri. & verf. numerari, sub conditione impossibili stipulari, & alii stipulari, equiparantur; in priori autem casu stipulatio est prorsus nulla, nec obligans naturaliter L. impossibilis ff. de Verb. obligat. ergo & in posteriori.

Ex hoc colliges: si quis, jure non valens stipulari pro altero, tecum stipuletur pro ineundo matrimonio cum Caja, ex tali stipulatione nullam oriri obligationem, etiam naturalem implendi; id quod deducitur ex dictis; nam tali stipulationi jus Civile resistit in reipubl. commodum, & ad lites regulandas, irritam decernit. Et hoc procedit, licet verba stipulationis dirigantur ad præsentem; adhuc enim promittens ante absentis acceptationem, resilire potest. Sic enim promittens, nec præsentem obligatur (quia stipulatio relatè ad illum est nulla) nec absentem, quia istè nondum acceptavit; alterius autem acceptatio pro illo reprobatur, reprobatione stipulationem annullante in potestatem.

36. Dices 1. quando contractus principalis non valet, nec poena etiam adjecta valet. Nam *accessorium sequitur naturam principalis*. Reg. *accessorium de Reg. Jur. in 6.* sed poena valet, quæ adjecta stipulationi alteri pro altero facta, ut dicitur *L. stipulatio ista §. alteri ff. de verb. obligat.* ergo etiam contractus in dato casu. Resp. Majorē esse veram, si ratio, propter quam contractus principalis non valet, etiam militet contra poenam adjectam: non autem fecit, si ster respectu poenæ adjectæ. In casu autem dato stipulatio non valet, quando quis alteri stipulari non potest, quia sua tunc non interest, quæ ratio respectu poenæ adjectæ deficit. Nam, quoad poenam suam interest, cum ad stipulationem pertineat, & solvenda sit ab ipso. Et ideo censent alii, poenam in hoc casu non poni tamquam accessorium stipulationi; sed quasi novum contractum. Et sic utile per inutile non vitiatur.
37. Dices 2. obligatio naturalis oritur ex consensu, *L. Stichum §. naturalis ff. de solut.* hic autem est consensus promittentis, & stipulantis. Resp. Majorem esse veram, *de consensu juridico* (quod idem est;) de consensu non reprobaro per Legem, & cui Lex humana non resistit annullando. Ita Covar. *de pact. 2. §. 4. n. 6.* & hæc spectato jure civili. De jure autem canonico ex stipulatione illius, qui jure pro altero stipulari non potest, nasci obligationem, affirmat Covar. & alii: sed probabilius negat Panormit. *c. inter universos. de Elect.* ex *c. quamquam, de usuris in 6.* ubi dicitur: non posse quemquam alteri acquirere, nisi persona publica sit, ut Notarius, vel Sacerdos Parochialis.
38. Dices 3. ex pacto nudo de jure canonico naturalis oritur obligatio, *c. 1. de pact.* ibi: *in ita pacta suam obtineant firmitatem.* & *c. qualiter, eodem.* ibi: *studiosè agendum est, ut ea, quæ promittuntur, opere compleantur,* stipulatio autem alteri per alterum facta, est pactum, ut docet gloss. *V. in idem L. 1. ff. de pactis.* Resp. majorem esse veram de pacto, cui Lex non resistit. Quando autem quis, qui jure stipulari alteri non potest, pro illo stipulatur, stipulationi ejusmodi resistit Lex, quia tunc ejus non interest, ut diximus *n. 36.*

Si quæras, an, si stipulatio, de qua loquimur, firmetur juramento, sic firmetur, ut retrocedere non liceat, ante absentis acceptionem? Resp. 1. sententiam (quam tenet Barbof in *L. si quis pro eo ff. de fidejuss. n. 12.*) affirmare; secundam autem (quam judico probabiliorē, & dudum secutus sum in materia de contractibus) negare: quia juramentum, pacto adjectum, fortitur naturam primordiale, & conditionem actus, pro quo interponitur. *L. fin. C. de non num. pec. & L. fin. ff. qui satisfacere cogatur.* Actus autem, super quo interponitur, est invalidus utroque jure, ut dictum est. Ergo. Secundo, quia promissio non revocandi promissionem, habet tacitam conditionem, *si acceptetur.* 3. quia, licet DEUS per juramentum vocetur in testem; promissio tamen fit homini sub conditione: *si acceptet;* ergo, si (antequam acceptet homo) promissor suam Sponfionem revocet, nihil agit contra juramentum; cum hoc non liget, nisi postquam promissione acceptata.

Dices: tale juramentum non est contra bonos mores, nec contra bonum commune; ergo servandum est, ut dicitur *c. si verò, de Jurejurand.* quod maximè procedit, si sit juramentum non revocandi promissionem. Resp. ant. verum esse de juramento, quod caret tacita conditione, quæ nondum impleta est, ut colligitur ex *c. quemadmodum, eodem;* juramentum autem, non revocandi promissionem, habet tacitam conditionem, si pactum juramento firmatum acceptetur. Notandum autem, nos loqui de juramento adjecto promissioni factæ homini; si enim juramentum fieret ipsi DEO propter ejus honorem, de promissione aliqua implenda, haberet rationem voti, & revocari non posset. 2. nos loqui de promissione respectiva, non gratuita.

## ARTICULUS II.

*De sponsalibus, in quantum dicunt promissionem externam.*

Cum ex dictis promissio futuri matrimonii debeat esse mutua, utrinque acceptata, & includat repromissionem, seu reciprocam promissionem promittenti factam, rectè sequi videtur, eam oportere verbis,

verbis, aut alio signo sensibili expressam esse; cum sine hac nec acceptari, nec promissione reciproca firmari possit, præsertim humano modo, eo scilicet, quo inter homines iniri solent contractus, ultrò citroque obligantes. Quia tamen aliqua in dubitationem venire solent, resolvemus ea in seqq.

## S. I.

An ad valorem Sponsalium sufficiat promissio merè interna?

Seu, quod idem est, an sufficiat promissio, tantum mente retenta? sed in hoc non est difficultas; quando id quæritur de promissione merè interna homini facta; cum ex priori numero constet, talem promissionem solam, ac merè mentalem, non sufficere ad Sponsalia, quæ contractum explicant utrinque onerosum, & humano modo initum, consensu mutuo utrinque acceptatum. Accedit, quod intentio mente retenta nihil operetur, ut dicitur in L. Non omnis. ff. de reb. Credit. quo posito: Quæstio est, an solâ mente (nullo externo signo expressâ) scemina promittens matrimonium de futuro, naturalem obligationem contrahat (non quidem in vi Sponsalium, quæ nulla sunt, ut diximus) sed solum in vi promissionis? Affirmat Molina tom. 1. de Jusf. tr. 2. d. 166. & alii apud P. Sanch. lib. 1. matr. d. 3. n. 4. qui hanc sententiam satis probabilem appellat; sed contrarium est probabilius. Quia promissio, non acceptata, nullam parit obligationem naturalem, vel Civilem ex n. 7. sed promissio merè interna, soli homini facta, nequit esse acceptata, utpote omnino incognita Promissario. Hinc talis promissio, merè interna, quamdiu manet non acceptata, à promittente semper licetè revocari potest, quin talis revocatio contineat aliquid contrarium veritati (est enim promissio tacitè conditionata, si alter velit) vel fidelitati; cum hæc non obliget, nisi suppositâ unione voluntatum in utroq; ex n. 11. Et quamvis promissio, in vi obligandi solum conditionata, & radicali, principaliter pendeat à voluntate promittentis, tanquam lex privata, quam suâ sibi voluntate imponit; pendet tamen etiam à voluntate

Tom. IV.

acceptantis, saltem tanquam à conditione, seu complemento, in vi obligationis absolute, seu formalis; aliâs votum, quod DEUS non acceptat, voventem naturaliter obligaret; cum & ipsam sit Lex privata, quam sibi voluntariè imponit voventis. Ex hoc ulterius habetur, non haberi totam vim formalis, & absolute obligationis à sola voluntate promittentis, nisi unitâ cum voluntate alterius, ex n. 8. Nec per hoc tolli differentiam inter promissionem simplicem, & nudum promissum, ex n. 12. & licet promissioni merè internæ, soli homini factæ, accedat juramentum, adhuc tamen nec illam, nec istud naturaliter obligare sine acceptione, quam etiam jure Naturæ ad hoc necessariam esse constat ex n. 14. Denique ab actu merè interno (per quem quis amittere potest jus, quod habuit) non rectè fieri paritatem ad acquirendum jus homini ex actu merè interno, à simili constat ex n. 18.

Dices: licet acceptari debeat promissio, ad hoc, ut obliget, hoc tamen fieri potest, etiam si non sit externè manifestata; ut, si Cajus antecederet, & sub conditione dicat: Si quid mihi Titius promiserit, accepto; ergo, si Titius animo merè interno constituat jus servitutis v. g. itineris per suum fundum, Titius vi suæ promissionis merè internæ, à Cajo acceptata, obligabitur ex Justitia, ut non resistat Cajo ire volenti per illum fundum; ergo esto, nullo externo signo actus ille internus manifestetur, acceptari potest, & obligare ex justitia, saltem ex natura rei, & secluso jure positivo; acceptatio enim illa, cum conditio subsistat, pura est. Resp. talem acceptionem generalem, ac indefinitam, nec jure positivo, nec jure naturali sufficere ad acquirendum jus activum, vi cujus possit quis alterum obligare in commodum proprium suæ libertatis: non jure positivo, ut constat ex L. 10. de Donat. ibi: si nescit rem, que apud te est, sibi esse donatam, vel missam, non acceperit, donatæ rei dominus non fit, ut diximus n. 11. Non etiam jure naturali 1. quia jus naturale me non obligat in eo, quod mihi pleno jure subest, quamdiu sic subjicitur; sed actus liberi, merè interni, cuique p' eno jure subsunt ad eos pro libitu revocandos, ut dictum est n. 8. ergo. 2. quia, si meo actu merè interno jure naturali constitueretur

B 2

a te.

alteri jus activum, vi cuius me obligaret ex stricta iustitia, natura approbaret obligationem, quam approbari non expedit humano generi; quis enim dicat, naturæ consonum, per illam approbari obligationem, à toto ferè genere subditorum ignoratam, imò sic absconditam, ut ipso naturæ instinctu credant potius, non dari: præsertim, quæ nullo usui foret. Quomodo enim habens acceptationem illam conditionatam, ignarus factæ promissionis, posset sibi iure arrogare iter per fundum alterius, tanquam debitum? & ignarus ejus acceptationis, obligari ad ei non resistendum? sanè lumini naturæ prudenter tribui non potest approbatio obligationis ex tali casu, qui nec utilis bono generis humani, & vix contingere potest prudenter.

44. Si quæras I. an ad valorem Sponsalium sufficiat promissio merè interna facta DEO? Resp. in hac quæstione supponendum, ex præcisa promissione soli DEO facta, de Titia v. g. *ducenda in uxorem*, nullam nasci obligationem Sponsalium; cum ad hoc sit necessarius consensus Titia reciprocus, qui ex eo (quòd DEUS talem promissionem seu votum acceptet) non ponitur. Dixi ex eo, quòd DEUS acceptet. Nam, nisi status conjugalis aliunde sit sub obligatione, vel ex aliqua circumstantia relatè ad voventem, evadat melior, seu conducibilior ad salutem voventis, vel ad bonum publicum (ut fit in magnis Principibus) quàm sit cælibatus, quem cæteroquin matrimonio esse digniorem, constat ex Trident. *sess. 24. can. 10.*) eo ipso votum, seu promissio melioris boni non erit, nec à DEO acceptatur.

45. Quæres 2. an valeat votum seu promissio merè interna facta DEO? de *ineundo matrimonio*? Resp. votum de *ineundo matrimonio* valere, quando quis DEO promittit, illam ducere, quam spe matrimonii, de quo illi fidem dedit, defloravit, quia sic matrimonium est sub præcepto, seu obligatione conscientia, consequenter relatè ad voventem, est de bono meliori. Idem est, si quis *ineundo* matrimonio, posset magnas utilitates in bonum publicum conferre v. g. *sedare bella*, cæteroquin in grave damnum boni communis eruptura, multarum gentium conversionem ad veram fidem ex tali connubio procurare:

nam pro talibus circumstantiis matrimonium cælibatu foret conducibilis; consequenter posset cadere sub votum, seu promissionem DEO factam; quia tunc prævalet ratio boni communis. Similiter valeret votum ejus de *ineundo matrimonio*, qui experientia certus est, de sua fragilitate, sic, ut credat prudenter, se non victurum in cælibatu sine frequenti lapsu contra puritatem, divinà lege præceptam. Tunc enim illi ad salutem in tali circumstantia conducibilis est matrimonium, quàm cælibatus. *Melius enim est nubere, quàm uri*, teste Apostolo. 1 Cor. 7.

Quæres 3. quid dicendum de aliis votis, diversas circumstantias habentibus annexas? Et in hoc videtur simpliciter affirmandum, valere votum; nam promissio, soli DEO facta, de *ineundo matrimonio*, est de re bona, nimirum de Sacramento, ac ejus effectu recipiendo, qui est gratia sanctificans, quam non præstat cælibatus; ergo valet; præsertim, si fiat animo, eo contracto, nec consummato, intrandi religionem; quia sic non impedit cælibatum, seu majus bonum; specialiter, si utrinque promissio servandæ continentia, prius fiat. Sed Resp. talem promissionem, seclusis aliis circumstantiis, de quibus n. 45. non esse de re meliori, quæ cadat sub promissionem, ac acceptetur à DEO, licet sit de Sacramento, ac ejus effectu, seu gratia. Nam, si sermo sit de gratia, quam seclusis aliis circumstantiis, habet promissio matrimonii ex opere operantis, ea ex promissione cælibatus, seu observantia pudicitia major est, quàm ex promissione matrimonii secundum se: si de gratia ex opere operato, eam nec cælibatus, nec matrimonii promissio operatur. Et licet eam operetur objectum promissum (nempe sacramentum matrimonii) non verò cælibatus, aliunde tamen, imò longè amplius, bonum illud per statum cælibem compensatur. Nam hic non impedit, sed admittit alia media, imò etiam sacramenta, quorum effectus longè superat gratiam ex sacramento matrimonii; qualia sunt *status Religionis*, longè amplioribus DEI donis cumulatus; *sacramentum Ordinis*, quo frequenti sacrificio recipitur Sacramenti gratia, quæ longè nobilior animam nutrit, & fovet, quàm Sacramentum matrimonii, quod non in usu,

usu, sed in contractu solum Sacramentali confert gratiam ex opere operato, ut tenet communis, & probabilior, ut notat Castrop. de Sponsal. d. 2. p. 2. n. 3. cum Coninch. *ibid.* d. 24. d. 2. n. 11.

47. Deinde not. fieri posse, quod privato actus etiam formaliter honesti & moraliter boni, contineat majus bonum, quam actus oppositus, eo, quod hic includat accessum ad res terrenas, quæ mentis evagationem pariunt, & à majoribus bonis avertunt. Tales actus sunt: *accedere amicorum epulas, alicui venationi intendere, exercere negotiationem licitam &c.* quorum tamen privatio, cum impediatur distractionem animi, & pericula terrenis inhiandi, majus bonum affert, quam actus oppositus. Et ideo votum omittendi tales actus, est de meliori bono, quam illos exercendi; sic se res habet in voto non nubendi, respectu promissionis de nubendo, seclusis aliis circumstantiis.

48. Quæres 4. an valeat votum inveniendi matrimonium, ac eo contracto, sed non consummato ingrediendi religionem? Resp. tale votum regulariter non valere, saltem, voto non prius manifestato Sponsæ. Sic Castropalaus d. 1. de Sponsal. dicens: *longè veriore est sententiam, quæ docet peccatum, si quis eo animo contraheret matrimonium, & eo non consummato intret religionem, eo non manifestato Sponsæ.* Primo propter periculum, contracto matrimonio, mutandi animum, & violandi votum; consequenter est de re non acceptabili à DEO, sine quo non stat votum. 2. quia taliter contrahens constitueret alteri jus ad usum conjugalem sui corporis, quem ex determinatione sui solius voti non posset licite concedere, si elapso bimestri, citra gravem culpam suam non esset in religione receptus; quia, licet non esset receptus durante primo bimestri, ex hoc tamen (si ponas valere votum, præferim non restrictum ad bimestre) ex determinatione voti adhuc urgentis non posset usum sui corporis licite concedere. 3. quia Sponsæ causaret difficile præjudicium (non *vi privilegii*, quo primo bimestri non consummato matrimonio, conceditur religionis ingressus) sed *vi voti*, præstans ingressum post bimestre, & cogens ipsam absq; sui juris usu esse, dum ipse

profiteatur; & si egrediatur uxorem *Monachi esse* cum suo dedecore; vel (eo professo) non ita facile aliud connubium obtinere, suspiraturis aliis, eam esse desertam ob aliquod vitium. Accedit, supposito voto continentiae, vel Religionis, absolute cautum, seu prohibitum esse de jure, *matrimonium inire*, ni gravis causa excuset, v. g. si aliàs non posset Religionem ex voto debitam ingredi; ut, quia detineretur inclusus; vel aliàs subiret grave periculum vitæ, honoris, aut fortunarum, vel alia peculiaris ratio sit, ob quam id matrimonium, ad DEI honorem, expedit, prout evenit in matrimonio B. V. cum S. Josepho.

Dices: non videtur sufficienter explicari, quare habens tale votum non posset licite concedere alteri usum conjugalem sui corporis, si elapso bimestri citra gravem suam culpam non esset in religione receptus? Resp. *posse*, in suppositione, quod votum non valeat. Si autem supponas valere; vel loqueris de voto intrandi religionem solum intra bimestre à contracto matrimonio? vel etiam post? si primum? *non posset*; quia tunc urget votum: si secundum? *posset*, & non posset. *Posset*; quia votum contracto matrimonio, & eo non consummato, etiam post bimestre intrandi Religionem, est in præjudicium Sponsæ, & non valeret, contra suppositum. *Non posset*, quia supponitur etiam tunc manere votum.

Quæres 5. An valeat votum matrimonii emissum ab eo, qui sæpè succumbit tentationibus carnis? viderur, quod non; quia licet quis noverit fragilitatem suam, & frequentem lapsum in carnis tentationibus; si tamen voveret matrimonium, Spiritui Sancto præcludit viam, ne ipsi adsit per efficaciora media obtinendi victoriam adversus eas; & reddit se Religionis perpetuò incapacem, etiam ubi deficiunt tentationes illæ, plerumq; solum temporaneæ. Deinde matrimonium inire, *causâ vitandæ fornicationis, illicitum est* juxta S. Thom. in 4. Dist. 31. q. 2 ad 2. ergo tale matrimonium non tantum non est de bono meliori, sed etiam de re illicita; ergo non valet maximè, cum statim tali voto, adhuc licite possit ingredi Religionem.

B 3

Resp.

51. Resp. cum tali homini sit melius, nubere, quam uri, ut docet Apostolus, solum sequi, quod in dato casu votum matrimonii excludat majora bona, si considerentur secundum se; non autem, si relata ad votentem: certe quilibet prudens, & doctus Confessarius, homini toties in eadem scelera recidivo rectius suadet matrimonium, quam cælibatum cum tantis periculis, tot repetitis lapsibus offendendi DEUM. Nam uti matrimonio in tali casu, ubi cæteroquin lapsus carnis cum DEI offensa perquam difficulter vitari posset, non est illicitum; usus enim matrimonii de se licitus est, & in hoc casu est medium ad finem, qui sub obligatione est, nimirum non offendendi DEUM. Et quamvis hæc propositio: *opus conjugii ob solam voluptatem exercitum, omni penitus caret culpa, ac defectu veniali*, sit nona inter damnatas ab Innocentio XI; casus tamen noster in hanc prohibitionem non peccat, cum dicamus, non esse licitum exercere actum conjugii, ob voluptatem solam, vel unicè; sed ad vitandam incontinentiam, cæteroquin difficulter ab illam patiente (absque peccato, vel ejus gravi periculo) superandam. Et primò, si exerceatur ex fine, seu propter vitandam incontinentiam alterius conjugis, nullum esse peccatum, videtur certum ex c. secundum verba 33. q. 5. sic enim includit redditionem debiti conjugalis, propter quem finem uti matrimonio vacat omni culpa, teste D. Thom. in c. 7. Epist. ad Cor. ibi: *actus conjugalis quandoq; est absq; omni culpa mortali, vel veniali; ut cum sit causa reddendi debitum; sic enim est actus Justitiæ.*
2. si quis utatur conjugio solum propter vitandum in se periculum incontinentiæ (quamvis aliqui valdè probabiliter universim teneant, tunc nullum omnino esse peccatum) maximè tamen procedit, si ægrè aliàs, & non nisi cum periculo lapsus, in ejusmodi casu se contineret, præsertim homo perquam habituatus in tali vitio; sic P. Thom. Sanch. l. 9. hic d. 9. quo rectè quadrat illud Apost. 1. Cor. 7. *revertimini in id ipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram.*
52. Nec obstat, quod subjungat: *hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium*, ex quo aliqui inferunt, usum conjugii ad vitandum in se periculum in-

continentiæ, esse peccatum veniale, eò, quod, ubi nulla est culpa, nulla sit indulgentia; sed non benè. Nam ibi sumitur *indulgentia*, prout contraponitur præcepto, ut sensus sit: *hoc autem dico*, non tanquam sit præceptum in id ipsum reverti; sed tanquam benignè permissum, & concessum; non autem, prout convertitur cum culpæ remissione, de quo plura videri possunt apud Pereyram in *Elucid. l. 3. n. 635. & seqq.* Imò nec venialem esse culpam, uti conjugio, in quantum ejus usus affert voluptatem, si non sitatur in ea unicè, sed ordinatur ad finem primum conjugii, qui est bonum prolis, non videtur damnatum in ea propos. 9. quæ solum damnat dicentem: *licitam esse copulam propter solam voluptatem.* Nam omnia delectabilia à natura ordinantur ad sublevandam aliquam hominis necessitatem, ut notat S. Thom. cit. unde delectatio in cibo licitè quæritur, ut deserviat homini ad faciliorem v. g. nutritionem, quæ multum juvat, si cum gustu accipiatur ex eo fine melioris nutritionis; sic enim non fit ob solam voluptatem. Denique ex hoc, quod quis stante tali voto, adhuc licitè valeat ingredi Religionem, non sequitur votum illud irritum esse; aliàs nec Sponsalia de futuro, nec matrimonium ratum valerent. Nec propterea irritum est votum, *perpetuò serviendi egrotis in hospitali*, licet vovens Religionem ingredi possit etiam, postquam illud votum emisit. Hinc licet notorius concubinarium faciat votum, intra bimestre, vel ingrediendi Religionem dimissa concubina, vel etiam retentam ducendi, non erit irritum votum, quo tenetur determinatè eam ducere, si Religionem ex justa causa non eligat, licet absolute possit.

Quæres 6. An valeat votum matrimonii causâ pietatis? Quæstio procedit pro eo casu, quo quis emitteret votum *ducendi mulierem, vel pauperem, vel in cæno flagitiorum demersam.* Ante resp. nota, ut aliquis actus dicatur fieri *causâ pietatis*, duo requiri juxta Bald. L. *illud C. de sacrosanct. Eccl. n. 1* nimirum, quod concurrat *pietas persone*, & actus fiat *causâ pietatis*, seu quando concurrat *pietas in persona, & in causa.* Pietas in causa, seu fine intento, concurrat, cum aliquid sit præcipuè DEI, finis; supernaturalis intuitu, ad gratiam, vel

vel gloriam coram DEO promerendam; vel in satisfactionem pro propriis, vel alienis peccatis, ut docet Pereyra *cit in Elucid. l. 2. n. 1444*. *Pietas* autem *in persona*, cum in ea respicitur, vel relucet aliquid, quod curare, vel attendere, proprium est *pietatis*, cujusmodi est causa *Religionis*, quæ relucet in hominibus, vel locis ad DEI cultum dicatis, *indigentia*, & *miseria* in proximo, vel etiam conjuncto, sublevandæ &c. *Pietas* autem juxta S. Augustin. *l. 10. de civit. DEI. c. 1*. tripliciter sumitur 1. pro Religione, Græcè *Theosobia*, ut nimirum idem valeat, ac *pium*, & *religiosum*, seu *cultui divino adjectum esse*. 2. pro misericordia, seu benigno affectu erga nostræ opis indigos, præsertim filios, sic sumitur in *L. Patrem ff. quæ in fraud. credit. ubi dicitur: pietatem patris extra reprehensionem esse*. 3. pro virtute speciali, quæ colimus parentes, tanquam vitæ, ac educationis nobis auctores secundum DEUM.

§4. Ex hoc colliges, relictum pauperibus, etiam consanguineis, Ecclesiæ, aut Monasterio in bonum propriæ animæ, vel in redemptionem captivorum, ad orphanam maritandam, ad divinum cultum, ad suffragia, pro se, vel aliis defunctis fidelibus, conseri legatum, seu *relictum ad piam causam*; quia sic in eo reperitur *pietas in persona*, & *in causa*. Collig. 2. si quis aliquid diviti relinquit, etiam ex DEI amore; aut pauperi, sed intuitu affectionis, aut consanguinitatis, non fore legatum *ad causam piam*; quia in primo deficit *pietas in persona*; in secundo, *pietas in causa*, ut notat Sanch. *de matr. l. 1. d. 4. n. 9*.

§5. Not. 2. dupliciter fieri posse, quod quis soli DEO promittat, *se ducturum in uxorem pauperem*, ut honestè, ac decenter vivat; vel *flagitiosam*, ut à turpi quæstui desistat, ubi quælibet promissio continet causam piam, seu pietatem in causa & persona. 1. si promittat, *se ducturum pauperem*, sub conditione, quod matrimonium iniciturus sit. 2. si absolutè; his præmissis: Resp. ad rationem in n. 53. valiturum tale votum factum DEO, sub expressa conditione, *si ducturus sum uxorem, ducam pauperem*; non autem, *si absolutè*. Prob. quia sic ex parte voti in 1. casu non præcluditur via vocationis ad perfectiorem statum, secus in 2. Nam stante primo,

vovens manet liber ad statum Religionis, & (licet non eligat Religionem) ad statum Cœlibem. In secundo autem, nisi eligat Religionem, vi voti cogitur descendere à perfectiori continentie statu ad imperfectiorem matrimonii, ratione cujus ipsum secundum se non est idonea materia voti. Et ita tenet Sanch. *cit. n. 12*.

Dices 1. illud votum *absolutè factum, ducendi pauperem*, non obligat absolutè ad ineundum matrimonium, sed solum ex suppositione, quod nolit Religionem; ergo validum est. Prob. conseq. Nam si voveret sub conditione expressa, *si non elegero Religionem, ducam pauperem*, valeret votum, ut patet à priori de voto, *si ducam uxorem, ducam pauperem*, quod valere conceditur; ergo etiam valet, si voveret sub illa conditione tacita; sed sic est in eo casu, cum sit conditio, quæ illi promissioni, imò ipsi contractui tacitè inest. ergo. Resp. Neg. Conseq. ad hujus probat. dato antec. Neg. Conseq. Nam aliter se habet ea conditio, *dum exprimitur*, aliter, *prout tacitè inest*. In primo enim casu promissio non parit absolutam obligationem; cum ex conditione pendente, ac expressè adjecta suspendatur; secus ex conditione, quæ tacitè inest. Hæc enim facit, ut obligatio, seu vinculum matrimonii rati tantum, non sit absolutè, postea contractu legitime facti; sed tantum, quod ea solvi possit Religionis ingressu. Et ideo, cum expressè apponitur, aliter exprimitur, quam insit. Nec juvat paritas assumpta ex voto conditionato, *ducendi pauperem, si matrimonium eligatur*. Nam hoc ex parte voti non est determinatum ad statum imperfectiorem, nempe matrimonium; si enim ille non eligat matrimonium, ex parte voti non adest determinatio ad imperfectiorem statum, nempe matrimonium, cum adhuc possit eligere Religionem, vel cœlibatum.

Dices 2. licet matrimonium, secundum se, non sit materia voti, si tamen ei conjungatur opus valdè pium (v. g. *ducendi pauperem*, ut ab egestate sublevetur) ratione conjuncti evadit idonea materia voti, ergo tale votum valet. Ant. pat. Nam valdè voveret, qui voveret, vel *vitam continentem*, vel *conjugium cum paupere*; sed hujus non est alia ratio, quam, quod altera pars disjuncti contineat idoneam materiam.

materiam voti; ergo. *Deinde ducere pauperem*, ut ab egestate liberetur, est eleemosyna, quæ sine dubio est apta materia voti.

Resp. Neg. ant. nisi conjunctum eadæ sub votum conditionaliter, nimirum, *si duxero aliquam*. Nam aliàs, si matrimonium cum paupere absolute & individue promittatur, opus bonum secundum se vitiat ex adjuncto, & ex parte voti adest determinatio ad statum imperfectiorem. Et licet dem, quod ducere pauperem, *ut ab egestate subleuetur*, sit quædam eleemosyna, hæc tamen non est idonea voti materia, quando ratione adjuncti indivisibiliter trahit determinationem, ad statum imperfectiorem. Ad probat. Resp. illud votum; *ducam vitam continentem*, vel *ducam pauperem ex intentione voventis dupliciter fieri posse*. 1. determinatè de qualibet parte disjuncti, si alterum non eligat. 2. si saltem secunda pars disjuncti, sit sub conditione v.g. *vel ducam vitam continentem, vel si duxero uxorem, ducam pauperem*. In primo casu votum non valet. Nam, si non eligat vitam continentem, jam ex parte voti adest absoluta determinatio ad statum imperfectiorem: in 2. verò casu votum valet, quia sic, licet non eligat vitam continentem, adhuc ex parte voti non adest absoluta determinatio ad statum imperfectiorem, seu matrimonium, cum, salvo voto, possit non inire matrimonium.

§8. Dices 3. Juramentum promissorium, factum mulieri pauperi de ea ducenda, ut ab egestate subleuetur, valet; ergo etiam valet votum factum DEO de ducenda paupere, ut ab egestate levetur: pat. conseq. quia non minus hæc votiva promissio, quàm illa jurata, emittitur in favorem hominis. Resp. C. ant. Neg. conseq. quia ut promissio *homini facta* acceptetur, & obliget, non requiritur, quod sit de bono perfectiori, ut ex se patet; secus est de promissione *facta DEO*. Et ideo, si promissio, quæ ponitur in antecedenti, fieret DEO, invalida esset, quod voventem ex obligatione à DEO acceptata faceret descendere ad imperfectiorem statum, consequenter ad materiam voto, seu promissioni *DEO facta* non idoneam; quod non obest promissioni *facta homini*, ut dictum est.

Dices 4. votum factum de re bona, quæ potest ipsius esse materia, validè emittitur, licet excludat bona, vel statum perfectiorem; sed sic est in presenti casu voti, *de ducenda paupere, ut ab egestate subleuetur*: sic enim includit eleemosynam, quæ secundum se potest esse materia voti, major patet. Nam si quis voveat laxiorem Religionem, animo in ea perpetuò manendi, votum valet, licet excludat alias religiones strictiores. Resp. majorem negari, si sit de re, quæ, licet secundum se, possit esse voti materia; tamen, prout vovetur, conjungitur indivisibiliter alteri, quæ etiam relatè ad voventem, vel bonum publicum, trahit exclusionem statûs perfectioris, & descensum ad inferioriorem, ut dictum est sapius; hinc negatur, id contingere in presenti casu, licet includat eleemosynam, quia ratione indivisibiliter adjuncti excludit statum perfectiorem, descendereque facit ad imperfectiorem. Probatio majoris locum non habet. Nam conceditur valere illud votum; sed negatur, etiam impleto voto, per amplexum statûs laxioris, claudi viam transeundi ad statum perfectiorem, si talis Religiosus velit, quod secus habet in matrimonio consummato.

## §. 2.

*An promissio externa, verbis fieri debeat?*

Resp. ad valorem Sponsalium, vel matrimonii, non requiri *determinatè verba*, quibus consensus internus, etiam in his, qui loqui possunt, exprimitur; sed sufficere verba, *vel signa*, & natus sufficienter expressivos interni consensûs, constat ex c. *Tuc. 25. de Sponsal.* ibi: *nam surdi & muti possunt contrahere matrimonium, per consensum mutuum sine verbis*; quod etiam habetur in c. *Cum apud sedem 23. cod.* ubi textus ait, *surdo & muto contrahere volenti, si consensum suum exprimat aliis signis, non debere negari: cum, quod verbis non potest, signis valeat declarare*.

Not. tamen. 1. quod, licet verba, *quoad substantiam matrimonii*, necessaria non sint, ut dictum est; ex præcepto tamen Ecclesiæ requirantur, saltem in his, qui loqui pos-

possunt: patet 1. ex cit. c. Tue, ibi: *necessaria sunt, quantum ad Ecclesiam, verba. c. licet, 3. de sponsa duorum*, ibi: si inter virum, & mulierem legitimus consensus interveniat, ita, ut unus alterum *verbis consuetis* expressè recipiat; & sic passim obtinet consuetudo Ecclesiæ, etiam in casu, quo contractus fit per epistolam, vel Procuratorem.

62. Not. 2. cum in prædicto casu dicimus, *requiri verba*, intelligi, *quantum ad Ecclesiam*, nimirum ut illi de mutuo consensu constet, & probari possit. Hoc enim additur ob bonum publicum, nimirum ad cavendas, vel rectius dirimendas lites, in causis matrimonialibus. Sic Barbof. in c. Tue, à n. 5. quod æquè obtinet *verbis, voce, quam scripto*, consensum exprimentibus. Hoc tamen aliqui videntur intelligere, non de *matrimonio contrahendo* (si loco verborum, propriè talium, ponantur alia signa) sed solum de *judicando*. Verum, cum judicandum sit, de matrimonio, legitimo consensu *in principio contracto*, rectius dicitur etiam tunc requiri verba propriè talia, non ad valorem, sed ad debitam in casu litis probationem, nisi signa alia sint æquè indubitata. Not. 3. non tantum surdum, vel mutum, sed etiam laborantem utroque defectu, capacem tamen instrui, de consensu requisito, nutibus exprimendo; non prohiberi; atque adeo posse matrimonium contrahere, ut constat ex Barbof. in cit. c. *Cum apud sedem n. 2.* addente, idem dicendum, licet foret surdus, mutus, & cæcus simul; intellige, si in eo foret requisita capacitas ad consensum internam, externè sufficienter exprimendum; quod tamen rarò contingit.

## §. 3.

*An ad externam repromissionem matrimonii sufficiat sola taciturnitas promissarii?*

63. Ex dictis supra constat, acceptationem promissionis futuri matrimonii non esse naturà suà, *etiam tacitam repromissionem*; præsumi tamen comuniter talem, nisi aliunde constet acceptationem promissionis, ab acceptante factam esse solum, in quantum est in sui favorem (*habere alterum sibi obligatum*) non autem in quantum est

Tom. IV.

in præjudicium, & ad reciprocam obligationem. Quia tamen aliis quoque signis manifestari potest, acceptantis promissionem, repromissio, ideo quæstio est; an *sola taciturnitas* sit sufficiens signum repromissionis, quando uno promittente futurum matrimonium, alter tacet? Resp. in foro interno standum esse tacentis intentioni, & pronunciandum liberum, si reverà consensus internus abfuit, etiam stante tali silentio: sed nec in foro externo sufficit, seclusis aliis circumstantiis, in quibus fundetur præsumptio consensus interni. Nam taciturnitas ex se indifferens est ad *velle, & nolle*; cum frequenter fiat, quòd quis ex justa causa, nec consentiat in alterius obligationem, nec respuat; præsertim, si contineat favorem cum onere. Hinc c. *is, qui, de Reg. jur. in 6.* rectè dicitur, *is, qui tacet, non fatetur; sed neq; negare videtur*. Nec obstat regula Juris, in 6. *Qui tacet, consentire videtur*. Nam hæc regula solum procedit de præsumptione consensus in promissionem, *quatenus continet favorem promissarii*; non autem *quatenus præjudicium*, vel reciprocam obligationem; ita Menochius de *presumpt. l. 3. presump. 42. n. 4.* Sanchez cum communi, *l. 1. de Mat. d. 5. n. 5.* & quoniam *ejusmodi taciturnitas* (seclusis aliis circumstantiis) ad summum est dubium signum consensus *in præjudicium consentientis*, obligatio autem in dubio inducenda non sit (est enim contra possessionem voluntatis, quâ nativam suam libertatem possidet) rectè sequitur, solam ejusmodi taciturnitatem, non tantum naturà suà, sed nec præsumptione, esse reciprocè promissionem, vel consensum *in acceptantis præjudicium*; bene tamen in suum favorem præcisè. Accedit, quòd licet in foro externo fortasse sufficiat *voluntas solum præsumpta* de consensu (hoc est *voluntas, que non manifestetur, sed solum per conjecturas deprehenditur*, ut ait Pereyra in *Elucidar. n. 57.*) in matrimoniis tamen locum habere nequeat, ubi Tridentinum viget, irritans matrimonia simpliciter clandestina, consequenter matrimonia, *solum præsumpta, de consensu*.

Dices. 1. quando parentes, nomine liberorum præsentium, cum alio, vel alia contrahunt, rectè præsumitur liberorum consensus, & promissio, ex sola illorum

C

taci-

taciturnitate, ut constat ex *c. unico*, de *desponsatione impub. in 6.* ubi dicitur; ex Sponsalibus, quæ parentes pro filiis puberibus, vel impuberibus plerumque contrahunt, ipsos filios obligari, si expresse consenserint, vel tacite. Et statim explicans, quando censeantur consensisse tacite, subiungit; ut si presentes fuerint, nec contraxerint; ergo sola taciturnitas est sufficiens signum externè manifestans reciprocam promissionem, vel consensum internum.

65. Ante resol. supp. 1. sine interno consensu, quæcunque signa externa sint, nulla esse posse vera sponsalia, nullamque propterea obligationem in foro interno ex vi sponsalium. Hæc enim substantialiter petunt verum consensum mutuum; quare licet, dum parentes pro suis liberis promittunt futurum matrimonium, illique præsentis sint, & nihil contradicant; in conscientia tamen nullam contrahunt obligationem, si consensus internus in illis absit, ut tenet communis, & colligitur ex *c. Tuas 5. de sponsa duorum*, cuius verba retulimus supra, & constat ex illis verbis: *Et si solus* (nimirum consensus cordis) *desuerit, cætera cum ipso coitu frustrantur.* Supp. 2. in dato casu non sufficere, quòd tunc cum taciturnitate simul adsit in liberis consensus internus; sed requiri simul ad verà Sponsalia, quòd eum aliquo signo externo manifestent. Hinc tota difficultas, ut rectè notat P. Sanchez. *l. 1. d. 23. n. 1.* eò tendit, an (si adsit consensus internus) ea taciturnitas sit signum sufficienter expressivum consensûs interni, ut sic legitima Sponsalia constituantur? loquimur autem de filii præsentia morali, quando scilicet præsens, est conscius, & intelligens, quid nomine suo agatur? Suppon. 3. datam quæstionem, etiam alio sensu, posse intelligi: an scilicet ea taciturnitas, præsentis, & intelligentis, quid nomine suo agatur, sufficiat ad præsumendam præsentiam consensûs interni? cùm enim de internis nulli constare possit, nisi DEO; in dubio ex præsumptionibus res decidenda veniet pro foro externo; licet in foro conscientie standum sit confessioni poenitentis, qui eo loco est accusator, Reus simul, & Testis. Supp. 4. quòd decisio in *c. unico*, non fundetur in sola taciturnitate præsentis etiam moraliter, sed simul

in circumstantiis specialibus, quòd non à quocunque, sed quòd à parentibus (qui communiter liberis suis æque bene, ac sibi, præfertim in eiusmodi casibus, consulere solent, ut dicitur *L. ipsi quidem 8. ff. de eo, quod metus causa*), ipsorum nomine matrimonium promissum sit; adeoque tali contractu communiter eorum bono consulere præsumantur; ita Sanchez. *cit. n. 3.* his præmissis;

Resp. ad object. dato ant. Neg. Conseq. 66. quòd in dato casu sola taciturnitas sufficienter significet consensum internum; sed illa cum dictis circumstantiis; quia decisio illa, ut dictum est, non fundatur in sola taciturnitate, sed in ea prout conjuncta cum dictis circumstantiis, nimirum, contractus facti à parentibus, qui liberis suis optimè consulere merito præsumuntur. Dixi, dato ant. intellige quoad hoc, quòd ex eiusmodi taciturnitate liberorum, moraliter præsentium contractui, quem eorum nomine parentes faciunt, rectè præsumatur consensus, consequenter, obligatio pro foro externo. Nam si hæc præsumptio, quæ in facto consistit, falsa sit, cedit veritati, etiam in foro externo, si etiam in eo constet, consensum internum defuisse. An autem, si consensus internus in re adsit, eum eiusmodi taciturnitas sufficienter significet externè, ut sic legitima Sponsalia constituantur? dubitari potest, cùm eadem taciturnitas in iisdem circumstantiis possit esse signum falsum; sed hoc non obstat; quoniam, etiam verba & nutus (h. e. voluntas signis declarata, veluti oculis, capite, manibus, (ut ait Pereyra *cit. n. 63.*) fallere possint, ut manifestum est in promissione simulata, de qua dicemus infra; & tamen sufficienter externè significant, præsentem consensum internum, quantum est ad forum externum.

Dices: si taciturnitas filiorum moraliter præsentium tunc, quando ipsorum nomine parentes contrahunt, est sufficiens signum externum de consensu liberorum in id, quòd eorum nomine tunc parentes agunt, eo ipso erunt vera Sponsalia in tali casu; hoc autem dici non potest. Nam Sponsalia essentialiter petunt consensum verum, ac naturalem ipsorum contrahentium, qualis non est in casu, quo adest con-



71. Ex dict. coll. esto in dato casu, quo alius, quam *Parentes* (v.g. *Tutor* pro pupilla, vel *frater* pro sorore præsentis, & tacente) sponsalia contrahit, in pupilla, vel sorore in re adesset consensus internus, adhuc tamen non fore vera sponsalia; non ex defectu consensûs interni, sed externi. Nam taciturnitas ejus, in illis circumstantiis, non est, etiam præsumptione juris, signum externum, sufficienter manifestativum interni consensûs ex dict. *a n. 63. Coll. 2.* matrimonium à parentibus contractum coram Parocho, & testibus pro filiis præsentibus moraliter, & tacentibus, si revera adsit consensus internus, validum esse, quia tunc adest mutuus consensus internus sufficienti signo externè manifestatus, sic, ut tunc etiam Parocho constet de consensu, parentum voce, manifestato in circumstantiis, in quib<sup>9</sup> *vox parentum cum taciturnitate filiorum*, juris præsumptione, habetur pro consensu externè manifestato; ita Sanchez. *cit. l. 1. de spons. d. 23. n. 13.* volens id etiam procedere post *Trid. sess. 24. c. 1. de matr.* ubi irritantur matrimonia clandestina, hoc est, *celebrata sine præsentia Parochi, & Testium.* Coll. 3. si quis apprehendat manum feminae, & tunc dicat: *ego te accipio in meam sponsam*; illa vero nec manum retrahat, nec contradicat, probabilius ex hac taciturnitate non rectè colligi, mulieris repositionem, esto contrarium teneat Sanchez. *d. 22. n. 6.* Nam taciturnitas, etiam in talibus circumstantiis (ubi nullus de matrimonio tractatus præcessit) non est signum repositionis ex *n. 19. & 63.* sed ad summum, acceptationis, juxta inibi dicta.
72. Quæstio est 3 an quando parentes sponsalia contrahunt nomine filiorum *absentium*, qui super hoc certificati, ab ipsis parentibus, non contradicunt, taciturnitas sufficienter significet consensum internum, si revera adest; vel saltem sufficiat ad ejus præsumptionem. Resp. duplicem esse sententiam. 1. negat sufficere, & ultra illam taciturnitatem, postquam de illo, quod eorum nomine gestum est in absentia, à parentibus certificati sunt, requirit aliam ratificationem, vel expressam, vel tacitam, ut dicitur in *cit. c. Unico, de Despons. impub. §. Et idem est*, ibi: *Et idem est, si post scientes ratificaverunt tacite, vel expresse*; ita Sanchez. *cit. n. 17.* volens, eam taciturnitatem, ut sit etiam tacita ratificatio, debere habere adjunctum aliud signum ratificationis, ut expresse habet *l. 1. d. 16. n. 6.* quale est, si deinde vocet, & tractet alterum, ut sponsum; vel mitrat, aut recipiat munera sponsi consuetæ &c. Secunda sententia docet, solam eam taciturnitatem, in datis circumstantiis, esse signum sufficienter significet consensum internum, quo à Parentibus ipsorum nomine datam fidem ratam habent: ita Castropalaus *cit. n. 14.* Quia, sicut contractus Parentum, nomine filiorum præsentium, juris præsumptione sufficienter manifestat internum consensum filiorum non contradicentium, si re ipsa adsit; ita etiam sufficienter significat consensum, ratificantem acta Parentum, cum revera adest, si, postquam certiores facti sunt, de illo, quod ipsorum nomine actum est à Parentibus, non contradicant. Hanc sententiam satis esse probabilem docet Sanchez. *d. 23. n. 16.* priorem tamen existimat veriorum; quia cum jam in *cit. c. unico*, ultra filiorum taciturnitatem (postquam sciunt, quid eorum nomine actum sit) exigat *ratificationem tacitam*, ubi expresse non est; rectè colligitur, desiderari aliud externum signum ratificationis, quam illam taciturnitatem. Facilius enim reclamabit præsens, si non consentit, quam absens, etiam certior factus; cum possit cogitare, parentum acta, se absente, facilius se adhuc posse declinare. Not. autem, etiam secundam sententiam procedere in casu, quo certiores facti *ab ipsis parentibus*, vel per se, vel per nuntium, vel per epistolam; *non autem, si aliunde*, casu vel aliorum relationibus intelligunt. Nam ut tales se parentibus aperiant, si quid in contrarium habeant, exigat reverentia illis debita; quod non militat pro aliis, cum nec decentia quandoque sinat, ut hi eorum mentem sciunt.
- Dices: si liberi obligantur ex Sponsalibus, quæ nomine ipsorum præsentium, & non contradicentium; vel absentium, ac deinde tacite ratificantium, parentes contraxerunt, obligabuntur etiam in casu, quo in illis circumstantiis revera non consenserunt animo. Resp. tali casu in conscientia, & naturaliter non obligari, sed tantum in foro externo, & civiliter. Quare consulendum est illis, ut, si tali casu, vel reverentia, vel metu parentum, contradicere

eere non audent, esto libenter vellent, dicant mox aliis, se nolle tale matrimonium; ut per eos suo tempore, ubi ea taciturnitas allegaretur, suum dissenfum sufficienter probent. Si autem hoc neglexissent, & consequenter in foro externo ad ejusmodi matrimonium cogendos se viderent, esto reverà tunc corde, & animo nunquam consenserint, sed solum ex verecundia, vel alio capite tacuerint, proprio juramento dissenfum suum probare poterunt. Nam ut rectè docet Mascardus volum. 1. de Probat. conclus. 94. n. 6. *juramentum est modus probandi animum, & ea, quæ in animo consistunt.* Nec obstat, quòd contra se tunc habeat præsumptionem juris; hæc enim admittit probationem in contrarium, quia non est præsumptio juris de jure.

74. Quæri potest 4. an quis (etiam, cum potest) non contradicens petitioni per epistolam factæ, censetur consentire saltem elapso termino ad deliberandum dato? videtur affirmandum ex Clement. 1. de Procurator. ubi per literas requisitus Titius, ut Procuratorem ageret, facta simul notitia, de cautione jam præstita, cum scienter literas recepisset, nullà factà protestatione in contrarium, per hæc omnia suum consensum præstitisse censetur, nimirum ex literarum retentione, sine ulla contradictione. Resp. negativè. Quia taciturnitas in his, quæ important onus, de se, & seclusis aliis circumstantiis, non est signum consensûs, ut dictum est. Quando autem l. 8. §. 1. ff. de Procurat. dicitur: *Invitus Procurator non solet dari: invitum accipere debemus, non eum tantum, qui contradicit; verum eum quoque, qui consensisse non probatur:* respondet Haunoldus tom. 5. de Just. tr. 4. n. 552. intelligendum esse, quòd quando præcisè non contradicit; secus, si ponat aliquem actum externum, (v. g. scienter literas recipiat, lectasque sine ullà contradictione retineat) sola taciturnitas consensûs invitum potius in tali casu probet; seclusis aliis signis. Quod magis procedit, si requisitus, oretenus responderet, se deliberaturum, & postea nullum daret responsum. Tunc enim ex taciturnitate non argueretur consentire; sed potius, nolle se obligare. Et hoc maximè locum habet in contrahendo matrimonio. Nam si invitatus per epistolam ad matri-

monium, petito, ac elapso deliberationis tempore, nihil respondeat, consensum dare nullatenus præsumi potest.

## §. 4.

## De Promissione externa, quæ fit per verba.

Innumeri casus sunt sponforum litigantium de matrimonio sibi promisso, uno negante, altero affirmante, ac probationem desumente, vel ex verbis, vel ex factis, signis, aut nutibus, quibus promissionem sibi factam esse contendat, Ecclesiastico Judice non rarò ambigente, quid in tali casu decernere oporteat? de his igitur præsentibus §. agimus. Hinc Quæres 1. an hæc verba: *nullam aliam ducam, nisi te, vel præter te,* significant absolutam promissionem futuri matrimonii? ante resol. not. 1. quæstionem in hoc §. procedere solum pro foro externo, ubi Judex, cum de animo Sponforum ipsi non constet; pronuntiare debet solum ex præsumptione. Nam in re omnia ejusmodi externa signa fallere possunt; ut jam dictum est. Not. 2. dubitationem nasci ex eo, quòd ambiguum, sit, quem sensum habeant ea verba? aliqui volunt hunc, *ducam te, non autem aliam.* Nam exceptio ab illa negatione habet hunc sensum affirmativum: *Te ducam, & nullam aliam;* sicut hæc propositio: *signum non dabitur ei, nisi signum Jone Prophetæ,* Lucæ 11. resolvitur in hunc sensum: *signum Jone Prophetæ dabitur ei, & nullum aliud.* Alii judicant, quòd illa verba (nisi aliud de mente loquentis constet) non faciant alium sensum, nisi conditionalem, scilicet: *si aliquam duxero, ducam te, & non aliam.* Hinc ad futurum nascitur promissio conditionata, vi cujus Sponfus non tenetur inire matrimonium, sed potest innuptus licite manere; ex suppositione tamen, quòd vellet inire matrimonium, teneretur ad hanc determinatè. Sic si Cajus Titio promitteret: *nulli, nisi tibi, vendam fundum meum,* non teneretur absolute, fundum vendere ulli; teneretur tamen Titio, si vellet alicui vendere, ut dicitur L. si sterilis. §. si tibi. ff. de actionib. empti. Sanchez. l. 1. d. 19. n. 5. Et hanc opinionem cum Sanch. cit. & Layman. l. 5. summa. tr. 10. p. 1. q. 1. judico proba-

biliorem pro foro externo. Nam illa verba sunt vera, etiamsi promittens maneret in cœlibatu. Sic Archdekan in *Theol. tripartit. p. 3. tr. 4. c. 8. n. 6.* impressiois Coloniensis; & ratio est, quia in dubio non est *judicanda* obligatio; cum etiam legi negetur obligatio, *vel absolute, vel tali casu*, quando ejus existentia, vel extensio ambigua est; imò quando non est moraliter certa, ut docet Cardenas in *Crisi Theol. selectar. difficult. ex moral. Theol. dissert. 1. c. 11 n. 198.* ubi ait: *indubitabile esse, ut lex Ecclesiastica obliget, requiri certam notitiam de illius promulgatione Romæ facta, quod aliàs non esset sufficienter intimata; hoc autem à fortiori procedit, si non tantum non sit moraliter certa legis existentia, vel extensio, sed positivè, aut planè negativè dubia.*

77. Circa alias formulas verborum, quibus aliqui censent exprimi promissionem futuri, vel præsentis matrimonii, videri potest Tamburinus *l. 8. de matr. tr. 3. c. 2. §. 3. n. 7.* ubi complures enumerat, tanquam certas, alias tanquam dubias. Hæc: *accipio te in meam*, recipitur in *c. penult. de Spons.* teste Barbof. *ibid. n. 2.* tanquam sufficiens signum consensûs de præsentî. Ista: *providebo tibi, ut Uxori*, dubia est, an significet promissionem matrimonii? cum possit esse ex dilectione solum amicabili; si verò dicitur: *ex nunc, vel semper, aut posthac tenebo te, tractabo te pro Uxore*, juxta Gobat in *Theol. Experiment. tr. 10. n. 51.* certò significat promissionem matrimonii de præsentî. Inter alias verborum formulas ponuntur etiam istæ: *Promitto, quod desponsabo te; 2. te desponsabo; 3. tecum Sponsalia contraham; 4. Volo te ducere, aut, placet tecum contrahere; 5. Volo te habere in Uxorem; 6. mea eris; & similes plures*: sed nec istæ ab omnibus habentur tanquam certæ, etiam in foro externo. Nam prima, & secunda intelligi potest vel de Sponsalibus, vel de matrimonio in futurum celebrando; tertia continet solum promissionem Sponsalium; quarta juxta Sanch. *l. 1. hic d. 18. n. 24.* significat Sponsalia; sed aliis est dubia, an non significet solum propositum? Et ideo Hurtado de Mendoza, *l. 1. matr. difficult. 13. n. 54.* docet, ex illis verbis, secundum se prolaris (nam aliud est, si jam præcessit tractatus de contrahen-

do matrimonio) in foro judiciali judicatum iri, *nihil actum esse*; quod etiam intelligendum est de quinta, & sexta.

Si quis puellæ dicat: *contraham tecum* 78. *matrimonium*, Tambur. cit. vult esse certum signum promissionis matrimonii de futuro; Sanchez autem *cit. n. 12.* ait: quòd, licet ea verba non contineant expressè promissionem, tamen ex communissimo usu eam implicitè significant: Tannerus verò *d. 8. q. 1. n. 10.* tenet, significari solum propositum: videtur tamen ex communi usu, ubi promissionem denotat, in iis circumstantiis pro hac supponere. Per hæc verba, *accipio te in Uxorem ex crastino*, seu *in crastinum*; Perez. *d. 4. f. 2.* vult, significari consensum in matrimonium de præsentî, sed suspensum in tempus crastinum, quasi dicat, *ego nunc consentio, ut cras sim Vir tuus*: Sanchez *conferent. cit. n. 29.* rectius dicit, significari solum Sponsalia. Ex his apparet circa verborum formas, quibus aliqui quandoq; contendunt evincere, promissum sibi esse matrimonium, non eundem apud DD. sensum esse; in hoc tamen convenire, & verba, & facta, ea, quæ secundum se non significant promissionem matrimonii, vel de futuro, vel de præsentî (sed ad hoc indifferentia sunt) nihilominus ad eam significandam determinari, vel ex usu recepto apud talem gentem, vel ex circumstantiis præviis, aut comitantibus, in quibus ea dicuntur, & fiunt, ut notat Sanchez *l. 1. d. 18. hic à n. 11.* & alii. Ex hoc etiam colligi potest, quid dicendum in casu, quo verba vel facta sunt ambigua, nec potius significant promissionem, quam propositum. Nam in foro conscientie standum est intentioni ea usurpantis; cum ab hac pendeat vis obligationis voluntaria, cui verba, & signa, non è contra, potius deservire debent, juxta *c. Intelligentia de verb. signif.* si autem de illa non constet, in sensu, qui verisimilior est illius mentis, vel demum in eo, quem solent rectè intelligentibus generare, consideratâ Sponsorum scientiâ, & ætate, accipiendâ sunt, ut dicitur *c. Ex literis, 1. de Sponsal.*

Hanc tamen Juris dispositionem cum 79. *verba sunt obscura juxta communem intelligentiam, accipiendâ esse*, glossa *ibid. V. proposuit*, sic exponit, ut locum habeat, quando uterque contrahentium doctus è per ob-

obscura verba promisit; quo etiam sensu, vult esse intelligendum, quando in c. *Intelligentia de V. S. & L. non aliter ff. de legib.* dicitur: quod non sit recedendum à significatione verborum, nisi cum constet, testatorem aliud voluisse. Non enim ex opinionibus singulorum, sed communi usu, nomina intelligenda sunt, c. *ad audientiam, de Decimis*; & *L. Labeo, ff. de supell. legat.* Cæterum V. *Proposuit*, ibid. docet, secundum canones, si actor tantum dolum adhibet, verba esse intelligenda, prout ea Reus tantum intelligit; si Reus tantum, prout Actor: si uterque, locum esse citatæ dispositionis. Et quoniam promissiones matrimonii non ore tantum, sed etiam per epistolas fieri possunt (ut habetur *L. fin. ff. de Spons.* ibi: *in Sponsalibus: parum refert, per se, & coram, aut per epistolam, aut per alium hoc factum est*) ubi ambigua sunt verba in literis, proportionaliter idem, ac in verbis ore prolatis, tenendum erit. Hinc literæ amatoriæ, quæ subinde ad probanda Sponsalia producuntur, non sunt probationes validæ, cum etiam inter eos, qui de nullo matrimonio cogitant, verbis quandoque affectuosissimis plenæ sint, nisi vel contineant promissionem expressè, vel ejus confessionem, aut relationem ad prius factum de illa ipsa materia tractatum præcedentem. Cum enim ejusmodi literæ ex aliis, quam Sponsalium intentionibus oppidò frequenter inter amantes uterò citroque scribantur, non rectè fundant præsumptionem Sponsalium. Nam præsumptio est conjectura in rebus dubiis, per rerum circumstantias, frequenter evenientibus, ut ait Pereyra cum Communi, in *Elucid. n. 1250.* at frequenter contingit, in ejusmodi amantium literis nihil de Sponsalibus cogitari; ergo conclusis aliis circumstantiis, ex illis literis præcisè, non rectè præsumuntur Sponsalia.

80. Cæterum, non nego per epistolam rectè probari matrimonii promissionem, vel repromissionem. 1. si contineat expressè talem actum, loquendo de epistola ad eum finem, & effectum scriptâ, ut suppleat vices articulati sermonis, quoties ad effectum alicujus actus articulatus sermo non requiritur substantialiter. Hinc talis epistola, à scribente recognita, plenè probat adversus scribentem. Nam propria con-

fessio plenè probat adversus consententem; at recognitio scripturæ evadit illi confessioni, postquam ab altero lecta est; tunc enim scribens censetur locutus, moraliter præsentis; quod sufficit, ut extrajudicialis confessio censeatur facta in alterius præsentia. Et hoc procedit, licet in epistola nec dies, nec locus, unde veniat, appositus sit, ut constat ex *l. 34. §. 1. ff. de Pignorib.* ibi: *cum convenisse de pignoribus videtur, non ideo obligacionem pignorum cessare, quod dies, & consules additi, vel tabula signata non sint.* Ex quo idem præsumitur de loco, cum loci omisso non minuat vim confessionis, & recognitionis. 2. similiter, si prius Sponsalia clandestinè celebrata fuissent per stipulationem, & epistola (quæ in probationem adducitur) se referret ad illum actum præteritum, evaderet eo ipso epistola confessata, & ex eadem (sicut quodcumque aliud negotium) contractus prius factus, rectè probaretur; quod verum est de Sponsalibus, licet epistola, à scribente recognita, careret nomine subscripto, si hoc factum sit (ut communiter fit in literis amatoriis) de industria, vel etiam si ex oblivione tantum. Tunc enim præsumi non potest, id factum animo relinquendi epistolam imperfectam.

## §. 5.

*De promissione externa, qua contingit aliquo facto.*

Inter alia signa, ex quibus non pauci 81. præsumunt promissionem matrimonii, numerantur etiam quædam facta (cujusmodi sunt *annulorum datio, & acceptio, missio jocalium; subarrbatio annuli*, per quam intelligitur annuli porrectio, vel in digitum immissio;) sed hæc per se loquendo, non sunt signum infallibile matrimonii, vel Sponsalium; quia hæc fieri possunt sine ulla tali intentione, solum in signum amoris, vel etiam gratitudinis &c. sic Castropal. *de Sponsal. d. 1. p. 4. n. 10.* Dixi per se loquendo. Nam si alicubi sit consuetudo, ubi datio annuli habeatur pro signo matrimonii, vel Sponsalium, eâ standum est in foro externo, ubi non constat, vel de contraria intentione, vel defectu veri consensûs, aut ex circumstantiis colligi potest, non dari annulum ex fine Sponsalium;



impuberes, vel unum puberem, alterum impuberem, non valet eo modo, quo fit, ratio esse potest vel ex defectu ætatis requisitæ ad matrimonium; vel ex defectu formæ à Tridentino præscriptæ, vi cuius excluditur clandestinitas simpliciter: at ea ætas, aut forma Tridentini pro Sponsalibus non requiritur; secunda pars constat ex dictis: prior constat ex Tit. de despons. impub. ergo.

85. Si quæras. 3. an clandestinum matrimonium, nulliter contractum ex defectu formæ à Trident. præscriptæ, habeat vim Sponsalium. Resp. quòd communior opinio neget apud Sanchez l. 1. de Spons. D. 20. a n. 3. quam sequitur etiam praxis, & recepta consuetudo, ut testatur Castropalaus de Sponsal. D. 1. p. 4. n. 8. rationem dant, quia nullitas matrimonii in dato casu oritur ex defectu for. Verùm, spectato rigore juris, affirmativa non caret sua probabilitate; ita Layman, l. 5. tr. 10. c. 1. Coninch D. 24. d. 4. n. 47. & alii. Nam qui consentit in matrimonium præsens, eo ipso consentit in matrimonium futurum, si quo casu matrimonium præsens haberi non potest; ex hoc enim juxta communem, matrimonium impuberum habet vim Sponsalium per n. 83.

86. Hinc not. 1. verum esse, quòd Trident. reddat omnes inhabiles, ad clandestinè contrahendum, intellige, matrimonium; non Sponsalia. Et ideo contractus clandestinus ex mente Tridentini est nullus, si sit de matrimonio; non, si de Sponsalibus. Not. 2. verum esse, quòd jus resistat clandestino contractui quoad matrimonium; sed non, quoad Sponsalia. Defectus autem formæ ad matrimonium requisitæ non vitiat Sponsalia; cum istis ea forma non sit præscripta. Ex hoc habetur, quid dicendum in casu, quo puberes matrimonium suum clandestinum firmassent juramento. Nam, spectato rigore juris, juramentum teneret; non autem spectatà praxi, ut dictum est.

Nec inferre licet: si matrimonium clandestinè, ac invalidè celebratum, valeat saltem in vim sponsalium, non posset à Tridentino dici, omnino irritum. Et nullum. Sic enim aliquo modo valeret, nempe secundum actum inclusum in priori expresso. Resp. negando sequelam; nam

Tridentinum non intendit aliud, quam tale matrimonium in vi matrimonii esse omnino irritum; quin aliquid disponat circa Sponsalia de futuro in actu expresso inclusa. Hoc enim, & non plus denotant verba: ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, nimirum eo contractu, de quo textus agit: at textus nihil ibidem, agit de sponsalibus, seu actu incluso in expresso; prout etiam suadet ratio decreti adducta pro matrimonii irritatione statuenda; quæ nullatenus tangit Sponsalia de futuro.

Instabis: sicut præsumptio debet cedere veritati clarè cognita; sic omnes privati sensus, & interpretationes doctrinales debent cedere auctoritativæ interpretationi, ac declarationi S. Congregationis, habentis à Summis Pontificibus potestatem legitimè interpretandi Tridentinum; at S. Congregatio expressè declaravit, matrimonium contractum cum Testibus, sed sine Parocho, non solum esse nullum, sed nec habere vim sponsalium, adeò, ut contrahentes ad denuò contrahendum compelli non possint, ut videri potest apud Fagnanum in c. de illis, 9. de despons. impub. n. 52. Resp. admitti majorem; si loquatur de interpretatione authentica Sacræ Congregationis cum conditionibus requisitis; non autem secùs, ut pluribus exposuimus lib. 1. decretal. tit. 2. Universim enim loquendo, non habent vim, nisi doctrinalis interpretationis; nec illa generalis concessio, quam passim supponunt Contrarii, factam illis à Summis Pontificibus, ritè probatur, ut loco citato cum pluribus aliis ostendimus. Id porro, quòd de particulari declaratione in hac materia ex Fagnano affertur, facilè solvitur. Concedo enim, non hoc ipso, quòd matrimonium clandestinum invalidè contractum habeat vim Sponsalium de futuro, tales contrahentes ad denuò contrahendum compelli posse. 1. quia possunt mutuo consensu sibi jus remittere. 2. quia potest intervenire justa causa promissum non implendi. 3. quia compulsio fieri deberet per Judicem, cui prius probari deberet clandestinus ille contractus, quoad actum inclusum; id, quòd rarò fieri potest; & propter opinionem contrariam, uno sponso invitato, non expedit.

§. 6.

## De Promissione simulata.

87. In hac materia plura sunt, quæ in quæ-  
 sitionem veniunt, cum simulatio multipli-  
 citer fieri possit, 1. si promittens externè,  
 careat animo promittendi; ut, si de con-  
 silio verba solùm *materialiter* proferat;  
 2. si habet quidem animum externè pro-  
 mittendi, sed vel caret animo se obligandi,  
 vel positivè nolit se obligare: 3. si pro-  
 missio externa fiat etiam animo se obli-  
 gandi, sed non exequendi; aut, si fiat per  
 verba ambigua, aut cum restrictione, &c.  
 Quibus positis, Resp. 1. ex promissione  
 externa, facta *animo promittendi, & se  
 obligandi*, omnino nasci obligationem  
 naturalem, seu obligationem conscientie,  
 suppositâ promissarii acceptatione. Talis  
 enim promissio acceptata sortitur natu-  
 ram pacti legitimi, quod naturaliter ob-  
 ligat, ut constat ex dictis; sic Lessius l. 2.  
*de Just. c. 40. n. 55. qui n. 52. rectè asserit,  
 promittere, non tantum esse, affirmare, se  
 daturum, vel facturum; sed ulterius se  
 obligare alteri, consequenter jus illi tribuere  
 ad exigendum. Dixi: facta animo pro-  
 mittendi, hoc est, verè utendi signis, aut  
 verbis in significatione formali, quam ha-  
 bent; non autem utendi solùm in signifi-  
 catione materiali, seu solùm ore proferen-  
 di. Nam ex tali promissione externa,  
 nullus omnino contractus nasci potest,  
 nulla obligatio in foro conscientie; cum  
 hæc supponat *consensum* non tantum *oris*,  
 sed etiam *cordis*, ut dicitur c. 1. de *Sponsa  
 duorum*. ibi: *fides consensus est, quando  
 corde & ore consentit*: ita Sanchez hic l. 1.  
 D. 9. n. 3. Et ideo rectè ait Gloss. in c. *lite-  
 naturam, de voto, v. proponens, ex L. obliga-  
 tionum, ff. de act. & obligat. nemo se obligat,  
 nisi qui animum habet se obligandi.**

88. Dixi etiam, *in foro conscientie*. Nam  
 si constaret de promissione externâ serio,  
 saltem negativè, nimirum sine ullo indici-  
 o joci, vel fictionis facta, quantumvis  
 verba solùm *materialiter* prolata forent,  
 in foro externo cogi posset, ad promissio-  
 nem implendam. Quia præsumerentur  
 tunc *prolata formaliter*, & eo modo, ac  
 sine, quo inter homines fieri solet; nimi-  
 rum *verè* promittendi. *Nemo enim exi-  
 stimandus est, dixisse, quod mente non agita-  
 verit*, ut dicitur l. 7. ff. de *suppellect. legat.*

Nimis enim indignum videtur, quod *sua  
 quisque voce dilucidè protestatus est, id in  
 eundem casum infirmare, proprioq; testi-  
 monio resistere*. L. *generaliter*. 13. C. de *nu-  
 merat. pecun.* Ex hoc sequitur. 1. pro-  
 missionem matrimonii externam, factam  
 animo promittendi, & se obligandi, non  
 tantum obligare naturaliter *in vi promissio-  
 nis*, sed etiam *in vi Sponsalium*, si acce-  
 ptatio ejus fiat à personis habilibus, sup-  
 positis aliis requisitis, cum promissione  
 reciproca, seu repromissione. Nam sic  
 habetur mutua promissio futuri matrimo-  
 nii, legitime facta. Sequitur. 2. idem di-  
 cendum esse, licet, postquam promissio  
 facta est, promittens statuat, promissum  
 non implere. Nam obligatio naturalis  
 oritur *ex vera promissione per alterum acce-  
 ptata*; nec vitiosa intentio, seu animas  
 non implendi, aliquid eorum tollit.

Resp. 2. ex promissione externa, facta 89.  
 merè privativè, nimirum sine expresso, &  
 formali animo se obligandi, quin adfue-  
 rit voluntas contraria, nasci obligationem  
 naturalem, & (si adit repromissio) etiam  
 Sponsalia, si promittens, conscius naturæ  
 promissionis, propriè dictæ, secundum  
 eam voluit promittere. Sic enim implici-  
 citè voluit, *se obligare, volendo promissio-  
 nem, secundum naturam suam*; implici-  
 ta autem promissio vera, externè manife-  
 stata, cum alterius repromissione, habe-  
 vim obligandi naturaliter, & quidem cele-  
 brandi de futuro matrimonii: ex promissio-  
 ne autem externa nullam oriri obliga-  
 tionem, si promittens nec explicitè, nec  
 implicitè, habuit animum se obligandi;  
 ut, si vel ignoravit promissionis naturam,  
 quatenus est inductiva obligationis; vel  
 per errorem iudicavit oppositum. Nam  
 sic abest radix obligationis naturalis, quæ  
*voluntaria dicitur* ex voluntate, quâ quis  
 sibi sponte legem privatam constituit, ut  
 constabit *ex n. seq.*

Quæstio est ulterius, an promissio ex- 90.  
 terna, facta animo *externè solùm promit-  
 tendi*, consequenter *sine animo se obligandi*,  
 obliget *ex vi promissionis*? si acceptata  
 sit; vel etiam *ex vi Sponsalium*, si conjun-  
 cta sit repromissioni? Resp. negativè. Nam  
 animus se obligandi est de substantia obli-  
 gationis voluntariæ; ex n. 87. ergo ubi talis  
 animus deficit, deficit obligatio voluntariæ;  
 quod à fortiori sequitur, si positivè quis  
 nolit

nolit se obligare; tunc enim habet actum contra naturam, seu substantiam contractus; talis autem animus æquè vitiat contractum, ac conditio contraria substantia matrimonii, ut constat ex c. *fin. de condit. apposit.* Immeritò autem negat Pontius de matr. l. 12. c. 2. n. 9. voluntatem se non obligandi per voluntariam promissionem externam (licet mendacem) esse contra substantiam matrimonii, vel alterius contractus. Nam sic verba legislativa, sine animo subditos obligandi, à legislatore prolata purè fictè (contra omnem legis naturam) habent vim naturaliter obligandi subditos; quod tamen passim negatur; quia radix, & origo obligationis in lege positiva pendet ab intentione legislatoris, subditis externè manifestatà, & intimatà. 2. Nolle consentire consensu interno ad constituendum alteri jus in suo corpore ad usum conjugalem, est contra substantiam matrimonii (nam juxta Pontium, referendum n. 97. consensus internus est de substantia matrimonii) ergo voluntas, se, aut fidem suam non obligandi alteri, cum quo contrahit matrimonium, est contra substantiam matrimonii. 3. Legislator externè pronuntians verba legislativa, nolens exinde subditos obligari, aut carens tali animo, agit contra substantiam legis; ergo etiam externè pronuntians verba promissiva, nolens exinde fidem suam obligare alteri, agit contra substantiam promissionis. Qui enim verè promittit, promissione suà constituit sibi legem privatam, & obligationem voluntariam.

91. Præter hæc not. 1. Basilium Pontium l. 12. de Sponsal. c. 2. relatà Patris Sanchez doctrinà, quæ supponit, homini posse ab homine fieri promissionem solà mente, seu actu merè interno, subjungere: *Patrem Sanchez in hoc deceptum videri*, eò quòd promissio inter homines consistat in verbis, aut signis externis, affirmantibus rem aliquam in futurum faciendam, vel omittendam; & hoc ipsum intimantibus illi, in cujus obsequium, gratiam, vel utilitatem res faciendâ, vel omittendâ est. Verùm nullam invenio rationem, quæ ostendat deceptionem. Nam si Pontius loquitur de locutione, vel promissione inter homines, solum inadèquate sumpta, concedo, illam consistere in illis verbis, aut

Tom. II.

signis; sic enim explicat solam promissionem oris; si autem de illa adèquate sumpta, nimirum cordis, & oris, omnimodo negatur; sic enim præter promissionem verbalem, importat etiam mentalem, nimirum animum se obligandi Promissario, & voluntatem eum enuntiandi conformiter menti, in qua est promissio interna. Deinde ibid. ait, Patrem Sanchez l. 1. hic, d. 9. n. 3. omnimodo falsum supponere, quòd dari possit promissio, quæ sit solius oris, non tantum sine animo se obligandi, sed etiam promittendi, de quo mentionem fecimus supra. Falsitatem probat hoc argumento: falsum omnino diceret, qui assereret, quòd quis voluntariè possit ferire externè, sine animo ferendi; externè equum tradere, ac pretium oblatum accipere, sine animo equum vendendi; verba infamatoria coram multis proferre, sine animo detrahendi: ergo similiter falsum omnino dicit, qui asserit, quòd quis voluntariè possit externè proferre verba promissoria, sine animo promittendi. Sed notandum, quòd P. Sanchez cit. hanc questionem proponat: *an quis obligetur ex promissione externa, sed simulata*, nimirum quando in promittente deficit animus proferendi verba promissoria conformiter objecto, quòd formaliter significant, videlicet in circumstantiis, in quibus habeat animum alteri obligandi fidem suam; hoc enim verba promissoria formaliter significant. Ubi vides, quòd aliud non supponat, quàm promissionem oris, seu externam, posse fieri, etiam voluntariè, sine promissione cordis; vel, quòd idem est, sine animo promittendi, promissione externâ, verà formaliter seu conformi objecto, quòd ea verba significant formaliter; his præmissis.

Ad fundamentum Pontii Resp. si ar. 92. argumentum fiat à percussione externa, ad solam promissionem externam, concedi, nec istam posse fieri voluntariè sine animo promittendi externè; ex hoc autem non probari, promissionem oris, seu externam, non posse fieri sine animo externè promittendi, verè formaliter, seu proferendi verba promissoria solum in circumstantiis, ubi adest in promittente animus, quem verba formaliter significant. Si autem argumentum procedat à puro actu physico ferendi, ad promissionem externam,

D 2

non

non purè physicam, & materialiter acceptam; sed prout subest alicui denominationi; v.g. *veri, honesti*, fundantis obligationem &c. manifestum est, argumentum sumi à diversis ad diversa; quod nullum est. Hinc notandum, quando signa externa indifferentia sunt ad recipiendas diversas denominationes morales (v.g. *donationis, legati, venditionis* &c.) non eo ipso, quòd illa etiam voluntariè ponantur, poni animo, vel intentione requisitâ ad ejusmodi denominationem; cum reverà poni possint *fictè*, & mendaciter, deficienter tali animo in ea ponente, quo actus externus constituitur, *in esse donationis, venditionis*; quamvis, si voluntariè ponantur *fictè*, non possint poni, sine animo ponendi *fictè*, quod ex seclarum est. Hinc secluso animo ponendi ea *verè*, sunt donatio, venditio, vocetenus tantum, non ore, & corde.

93. Ex hoc patet, quòd, licèt, qui alteri tradit equum, & externè accipit pecuniam v. g. non possit hoc voluntariè facere sine omni animo faciendi talem actum externum; possit tamen *sine animo vendendi*; quia potest facere traditionem externam, vel animo *donandi vel locandi* &c. item recipere pecuniam, *non ut pretium*, sed velut *donum* reciprocum, vel alio fine &c. Denique cum coram aliis proferre verba *detractoria*, etiam solùm *materialiter*, inducat famam diminutionem apud audientes, nisi loquens det sufficientia signa, quòd loquatur solùm ex mero joco, non seriò, aut purè materialiter (quod non reperitur in aliis actibus, & signis externis, ut ostensum est) ab hoc ad verba promissoria nullum sit argumentum. Hoc ipso enim, quòd quis ponat ea verba, sciens ex illis etiam materialiter tantum prolatis, nasci alienæ famæ diminutionem, hæc illi voluntaria est in causa; ex quo aliud non sequitur, quàm promittenti solùm *fictè*, unde promissarius decipitur, hanc deceptionem similiter esse voluntariam in causa, consequenter fieri non posse, sine animo *decipiendi*, bene tamen sine animo *formaliter promittendi*.

94. Dices 2. cum eod. n. 7. ubi docet, in Sponsalibus sufficere *consensum fictum*, seu promissionem externam sine animo se obligandi. Nam hoc ipso, inquit, quòd

quis externam promissionem faciat, & promissario intimet, cum hujus acceptatione, nascitur obligatio præstandi promissum, non tantum si vera est, ut per se patet; sed etiam si falsa, & mendax; quod sic probat; hoc ipso, quòd quis proferat verba promissionis, quæ scit esse, promissionis, illi, cui insinuantur, intimata, naturali jure tenetur ad servandam veritatem; cum jure naturali promissio debeat esse vera; ita ille; sed,

Resp. Negando, nasci (etiam naturali jure) ullam obligationem præstandi promissum (secluso damno, injuriâ, vel Scandalò) promissione mendaci & fictâ. Hinc *veracitas* (virtus nimirum loquendi conformiter menti) postquam mendaci sermone læsa est, non imponit ex hoc obligationem, *propositionem vocalem reddendi veram*; *fidelitas* autem (nimirum virtus præstandi facta conformia promissis) non obligat, nisi ex suppositione voluntatis nostræ liberæ, quâ velimus alteri constituere jus exigendi, cuius debitum sibi quisque statuit suâ lege privatâ, ut constat in votis, juramentis &c. at in casu posito nihil horum intervenit; ergo nullam obligationem præstandi promissum, suppositâ promissione mendaci, jus naturale, vel vi veracitatis, vel fidelitatis, taliter promittenti imponit.

Dicendum igitur; contra cit. Pontium l. 2. matr. c. 4. per fictam traditionem rei, & acceptationem pecuniæ, (atque adeò venditionem merè fictam) in foro conscientie, nullam nasci obligationem, secluso alio damno, injuriâ, vel scandalò; licet fictus venditor nullo signo manifestet suam fictionem. Idem est de aliis contractibus, & obligationibus voluntariis. Ratio est, quia nulla lex etiam privata, obligat, sine voluntate legislatoris, quâ velit obligatum eum, cui talem legem imponit. Dixi: *in foro conscientie*. Nam *in foro externo* præsumitur venditionem *verè*, non *fictè* celebrare, nimirum prout jure humani commercii, & socialis vitæ fieri debet.

Dicendum. 2. contra eundem n. 8. 97. omnino negandum esse, induci obligationem *in vi contractus* in eo, qui sciens naturam contractus signa illius externa liberè (*sed mendaciter & fictè*) profert. Ratio est eadem, quæ priorum. Hinc nega-

negatur, quòd, sciens naturam contractùs, non possit simul habere has duas voluntates, quarum unà velit verba promissoria proferre exterius; alterà, quã nolit se per ejusmodi prolationem obligare. Hoc enim est in omni promissione mendaci, ut evidens est consideranti. Et ideo ipse Pontius n. 13. expressè concedit, ad matrimonium requiri, quòd adsit consensus internus. Unde non rectè supponit, quòd natura contractùs ut sic, sita sit in solo consensu externo, voluntariè dato. Cum enim externus contractus, ut sic, dividatur in verum, & fictum, seu mendacem, evidens est, consensum externum, etiam liberè datum, esse posse, quin in mente contrahentis sit, quòd externè significat; aliàs enim non foret mendax. Quare, ut jam dictum est, universaliter notandum, quòd fidelitas nullum obliget ad præstandum, quòd mendaciter promissum est, seu quòd promissum est solum fictè, ac sine animo se obligandi seclusis aliis titulis. Hinc meritò negatur (quòd supponit Pontius l. 12. c. 2. n. 10. tanquam universaliter verum) quòd voluntariè posità promissione, vel contractu externo, etiam ficto, & mendaci, naturali jure sequatur obligatio; consequenter volentem illa signa, eo ipso virtualiter velle se obligare. Nam hoc fallit, ubi signa externa falsò significant, ad quòd significandum instituta sunt.

98. Dices cum eod. l. 2. c. 4. n. 8. Qui novit naturam contractùs, & scit ex illis signis nasci obligationem inter homines, eo ipso, quòd voluit proferre illa signa, voluit virtualiter se obligare. Resp. si loquitur de illo, qui verè novit naturam contractùs, hoc ipso supponi, quòd noverit ex signis falsis, & mendaciter prolatis, nullam seclusis aliis titulis (v. g. damni) obligationem nasci; secùs, si novit, hoc est, per errorem putavit, etiam ex mendaci promissione, nasci obligationem. Quare sub data dist. N. conseq. Hæc enim longè inter se differunt: jus naturale obligat ad promissum implendum, quando verè promittitur; & obligat etiam, quando fictè promittitur: nam primum est verum; secundum, falsum; quia nullum jus naturæ obligat ad servandam legem, quã legislator nolit aliquem obligari, quòd tamen fieret, si stare, quòd vult Pontius. Nam

sine animo obligandi externa signa non sunt lex, nisi cum addito diminuentè, nimirum lex merè vocalis, materialis &c.

Aliud etiam est, quòd jus obligationis voluntariæ pendeat à jure naturali, positò voluntariè solo actu externo sine animo, quem significant talia signa; aliud, quòd positris signis externis, cum tali animo & consensu interno. Primum falsum est ex ratione in priori numero; secundum autem verum; ex quo fit, eam vim non haberi à solo jure naturali, sed ab hoc, & voluntate nostrà. Et hoc sensu dicimus obligationes voluntarias pendere à voluntate se obligantis.

Dicendum. 3. contra eund. l. 12. c. 2. n. 11. promissionem fictam non confirmari juramento, hoc est, non acquirere vim obligandi ex vi promissionis, seu justitiæ, licet accessione juramenti vestiatur. Nam in tali casu accessorium sequitur principale: at in dato casu principale (nimirum externa, sed mendax promissio voluntariè posità) nullam parit obligationem, ut dictum est n. 4. Accedit, quòd juramentum non possit dare vim obligandi, nisi ex vi religionis, si verum est; nullam autem, si sit merè fictum; ita Sanchez l. 1. d. 9. n. 9.

Hinc immeritò dixit citatus Pontius, quòd rursus labatur P. Sanchez, dum ibi supponit, ut certum, si desit animus jurandi, nullam esse obligationem juramenti. Est enim reverà certum, tali casu tam parum esse verum juramentum sine animo verè jurandi, seu DEUM in testem, & quasi fidejussorem vocandi; quàm parum est verum matrimonium carnale sine animo, seu consensu interno, tradendi alteri jus sui corporis ad usum conjugalem; vel professio religiosa sine animo, & consensu interno sequendi ex voti obligatione consilia Evangelica in Religione; at in hoc casu contractus matrimonii merè externus, & fictus, nullam parit obligationem sine interno consensu; ergo nec juramentum. Et ideo S. Thom. in 3. dist. 39. q. 1. a. 3. expressè docuit: juramentum, ex ipsa juramenti, ut juramentum est, ratione, non obligare, nisi ex jurantis intentione.

Nec obstat, quòd ait Isidorus, relatus in c. quacumq; 22. q. 5. dicens: quacumque arte verborum quis juret, DEUS tamen, qui conscientia testis est, ita hoc accipit, sicut ille,

cui juratur, intelligit. Nam huic opponitur. 1. D. Thomas jam cit. secundò, Greg. l. 26. moral. c. 7. relatus in c. Humana, ead. caus. & quest. dicens: *humana aures talia verba nostra judicant, qualia foris sonant: DEUS autem, qualia ex internis proferuntur.* Unde Isidorus intelligendus venit, *de juramento solum vero*, sed sine animo implendi, *non autem ficto, & mendaci.* Nec juvat dicere, S. Thomam loqui solum de casu, quo quis loquitur *per verba amphibologica*; & dubitatur, an verba sumi debeant in sensu jurantis? an secundum mentem audientis? si enim ad obligationem non foret necessaria mens (consequenter interna voluntas) jurantis, frustra definiret S. Thomas in dato casu, *standum esse jurantis intentioni, seu menti.*

103. Dicendum 4. contra eund. n. 12. Patrem Sanchez non esse in hoc deceptum, sed omnino verum dixisse, quando cit. d. 9. n. 5. dixit: *posse aliquem ita contrahere sponsalia, ut ad solum veniale obligetur.* Nam actus agentium non operantur ultra eorum intentionem, L. non omnis ff. de reb. credit: & jus naturale, nec in gravi materia, obligat ex justitia ad præstandum aliter *promissum liberè*, quàm qualiter à promittente cum promissario conventum est. Contractus enim, in foro animæ, legem habent à contrahentium consensu. Nam nec lex naturalis, nec divina obligat circa rem spontaneam, nisi supposità voluntate hominis sibi obligationem imponentis, ut tenet propè communis cum Henric. l. 12. de matr. c. 13. n. 2. cum omnis obligatio spontanea sit ex lege privata sibi spontè constitutà.

104. Dicendum 5. contra eund. n. 13. etiam si quis certus sit, se externam promissionem præstitisse, si tamen dubitet, an habuerit animum se obligandi, non teneri ad præstandum promissum, si dubium vinci non possit. Nam sic adest dubium de existentia legis, sibi voluntariè imposita, quæ non stat sine voluntate se obligandi per ralem legem; at in tali dubio lex non obligat; cum obliget solum ex suppositione, quæ dubia est. Hinc quando P. Sanchez cit. n. 13. docet, *in hoc dubio teneri*, videtur id sentire, quantum est ex præsumptione, ac pro foro externo.

105. Neque dicas: in dato casu promissio externa est in certa possessione contra liber-

tatem voluntatis; non è contra; ergo pro illa judicandum est. Nam Resp. licet certum sit, quòd *promissio externè facta sit*, & pro hoc militet certitudo possessionis contra promittentem in foro externo; quia tamen non habetur certitudo de *interna promissione*, sed mera dubitatio, libertatem voluntatis non posse à possessione immunitatis ab obligatione, inde nata, deici, quamdiu stat ea dubitatio; nam promissio externa sine interna, non habet vim obligandi, ut tenet ipse P. Sanchez sæpe cit. licet in externo foro ægrè voluntas se defenditur contra præsumptionem, quòd *non promiserit fictè*, nisi aliis adminiculis juvetur.

## §. 7.

*An, & qualiter externa, sed dolosa promissio, promittentem obliget?*

Resp. eum, qui sponsalibus externè 106. promissis Virginem decept, & corrumpit, non teneri promissum implere, nisi ratione damni, si promissio fuit ficta; ita Sanch. l. 1. d. 10. n. 3. nam in tali casu (secluso nimirum damno) non est ulla radix obligationis, seu legis, eum ad præstandum promissum obligantis, ut const. ex dictis. Dixi, *non teneri, nisi ratione damni*; alia enim quæstio est, an ficta promissio, *ratione fraudis, & injuriæ illatæ*, promittentem obliget ad standum promissis? pro cuius resolut: nota, dupliciter fieri posse hanc promissionem *dolosam*. 1. *gratis*, quin ex hoc promissario damnum aliquod nascatur; & sic nec in vi promissionis, nec in vi sponsalium, licet repromissioni conjuncta foret, promittentem obligat ad implendum promissum, ut dictum est. 2. *cum alterius onere*, ut, si quis fictè matrimonium promittat puellæ sub hac simul conditione, *si fecerit usum sui corporis*, & hac spe matrimonii promissi onus præstet? in hac quæstione non est dubium, quòd injuria, & damnum puellæ illatum, compensari debeat à simulato promissore, sic urgente justitiâ commutativâ, ut tenet communis, saltem tunc, quando puella non poterat ex ullo indicio colligere, latere fraudè, & meram fictionem. Nam, qui injustè damnificat proximum, ex justitia tenetur reparare damnum; sed qui dolo, & matrimonii

monii facta spe inducit puellam ad iacturam pudicitia; ac ea, quae inde consequuntur, injuste damnificat illam; ergo ex iustitia tenetur reparare damnum, nimirum vel ducendo, vel dotando.

107. Si queras, an esto damnum ex ficta matrimonii promissione illatum, defloratae compensari possit alio modo, quam ducendo, nihilominus ex iustitia deflorator in eo casu determinate obligetur eam ducere? Resp. Caltroualaum D. 1. de Sponsal. p. 2. n. 3. affirmare hoc secundum; sed D. Antoninum p. 3. t. 1. c. 19. & alios velle, satis fieri ducendo eam, vel competenter dotando. Resp. fictum illum promissorem in dato casu satisfacere, defloratam ducendo, vel dotando, quin vi damni, vel iniuriae illatae, obligatus maneat determinate ad eam ducendam, nisi non possit alio modo damnum illatum rescire. Nam ad matrimonium determinate illum non obligat promissio, nec damnum ex deceptione natum. Non promissio; nam haec ponitur merè ficta, & nulla: non damnum; nam hoc plus non exigit, quam eius compensationem; at illud, non ducendo tantum, sed & competenter dotando illam, compensari potest, ut supponit casus, ergo.

108. Dices I. iustitia commutativa obligat, praesertim in contractibus onerosis, non tantam ad aequivalentem, sed etiam ad idem in specie reddendum, quod ex iustitia debitum est, si hoc reddi possit in specie; sic qui promissit, se daturum centum Cajo, si Romam iyerit, tenebitur implere promissum, esto fictè promiserit, si Cajo Romanum iter peregit; sed in dato casu vera promissio, ex iustitia debita est, ut constat in omnibus contractibus, in quibus intervenit do, ut des; vel facio, ut facias; & talis promissio vera reddi potest etiam eam ducendo; ergo talis deceptor non satisficit solum competenter dotando illam, sed verè promittendo, consequenter ducendo, ita Sanchez. l. 1. hic D. 10. n. 3. constat hoc etiam ex c. 1. de adul. & stupr. ubi dicitur: si seduxerit quis Virginem nondum desponsatam, dormieritque cum ea, dotabit eam, & habebit uxorem.

109. Resp. quòd iustitia commutativa, etiam in contractibus onerosis, qui nulliter initi sunt ex defectu veri consensùs, non obliget ad plus in foro conscientiae, quam

ad reparandum damnum decepto illatum in casu injustae actionis. Tunc autem petit tale damnum reparari per aliquid in specie, quando vel de illo in specie conventum est, conventionem veram, & validam; vel quando illud prius fuit sub dominio, seu reali jure damnum passi, & res adhuc extat. Nam his seclusis deficit radix obligationis ad hoc in specie; & satisficit, reddendo aequale, seu aequivalens. Quare negatur, quòd Cajo (postquam spe centum sibi fictè promissorum, conditionem adimplevit) promissor non satisficiat redditione tanti, quanti valet labor itineris Romani, aut damnum illi exinde secutum, licet non sit idem in specie. Nam quod fur equi non satisficiat reddendo pretium, loco equi adhuc extantis, est, quia hic equus in specie, adhuc extans, prius suberat reali jure per furtum laeso; quò titulo contra quemcunque possessorem habet actionem realem, equum vindicandi.

Ad c. 1. de adulteriis Resp. illa verba, dotabit, & habebit uxorem, ab ipso legislatore in c. immediate sequenti, sufficienter explicari sumendo particulam copulativam & pro disjunctiva vel, ut fasè apud Barbofam videri potest in cit. c. à n. 7. Illud tamen hic specialiter notandum venit, quòd in casu, quo deceptor defloratam dotare potius, quam ducere voluerit, dos ei constitui debeat juxta facultates illius, & dignitatem defloratae, ut not. gloss. in cit. c. 1. Verb. juxta modum: accedit, quòd cit. c. 1. non loquatur de casu fictè promissionis, sed seductionis, quae non fit unice promissione ficta, sed etiam vera, sed sine animo exequendi promissum, vel aliis modis, qui innumeri sunt, ut ex se patet. Dixi I. in foro conscientiae. Nam in foro externo illa conventio non praesumitur ficta, sed vera; consequenter nisi promittens clarè doceat, promissionem illam, seu conventionem fuisse merè verbalem, condemnabitur ad praestandum in specie, super quò in specie conventum est, si praestari possit.

Eorum porrò sententiam, qui docent, III. fictum promissorem in casu Virginis, spe matrimonii defloratae, teneri determinate ad matrimonium, limitat I. P. Sanchez cit. à n. 4. ut non procedat, quando deflorata ex circumstantiis facile scire, aut merito credere poterat, promissionem esse fictam, & deceptoriam; quia tunc sibi debet

debet imputare; & fraudi voluntariè consensisse videtur. Inter circumstantias, ex quibus id meritò credere poterat, num. 1. si sint genere pares, sed divitius, & opibus impares. 2. si vir in conditione notabiliter excedat mulierem, quæ hunc excessum novit; ut si fæmina sit rustici, aut fabri filia, & novit Virum esse filium Comitis. Tantum porrò, & tam notabilem excessum seu disparitatem (etsi sufficientem agnoscat P. Sanchez cit.) non requiri necessariò, sed multò minorem sufficere, docet n. 5. ubi notat, quantitatem hanc arbitrio prudenti relinqui. Hanc limitationem procedere vult etiam in casu, quo deceptor matrimonium ficto juramento mendaciter promississet. Nam in dato casu nec vi promissionis ex n. 90. nec vi talis juramenti ex n. 100. nec demum, juxta nos in n. 107. vi damni teneretur determinatè ad matrimonium, si damnum competente dote posset, & vellet compensare. Limitat 2. ut non procedat, si ex tali matrimonio magnum scandalum, aut malus exitus prudenter timeatur: ratio primi est, quia, quod sine scandalo fieri nequit, peccatum est, ad quod non datur obligatio; ratio secundi est, quia prudens metus mali exitus in casu matrimonii ab uno invitè contracti, regulariter trahit prudens periculum plurimum exinde peccatorum. Limitat 3. ut non procedat, quando fictus promissor à muliere fingente, vel dicente, se Virginem, deceptus, corruptam reperit. Nam in delictis datur compensatio, modò damnum ex uno non sit minus damno ex parte alterius. Limitat 4. ut non procedat in dato casu, licet mulier non decipiat, sed fictus promissor errore suo deceptus sit, quo Virginem putans, corruptam reperit. Nam hæc est justa causa dissolvendi sponsalia. Unde licet verum esset, quòd fictus promissor, spe matrimonii fictè promissi, defloratam ducere teneretur, nec satisfaceret dotando; hæc tamen obligatio ad eam determinatè ducendam potius, quàm dotandam cessat, quando supervenit causa, propter quam sponsalia, etiam vera, justè solvi possunt: de quibus dicemus in seqq.

III2. Dices: ergo licet in tali casu non teneatur eam ducere (cùm justè possit rescindere sponsalia, etiam si promissio vera fuisset) tamen, si (postquam advertit, cor-

ruptam esse, & non Virginem) perrexit; & absolvit copulam, tenebitur pro sibi concessa copula; quia sic promissionem suam confirmavit, & à conditione (si es Virgo) recessit, ut colligitur ex c. Per tuas. 6. de condit. apposit. ibi: cùm liquidò constet, quòd post contracta sponsalia carnalis est inter eos copula subsecuta, pro matrimonio est pronuntiandum, quia videtur à conditione apposita recessisse; quod apertius intelligitur ibid: ex Gloss. V. presumendum. Resp. N. i. latum. Nam in c. Per tuas, eo solam casu, ex copula post promissionem matrimonii secuta, præsumitur recessus à conditione apposita, quando præcesserunt copulam vera sponsalia; at in dato casu non præcessit vera promissio, aut vera sponsalia; Ergo. Deinde justitia non obligat ad restituendum plus, quàm damnum æstimeretur; ut docet ipse P. Sanchez l. i. hic D. 10. n. 21. sed damnum Virginitatis, etiam per dolum ablata, non æstimatur tanti, ac: Virum notabiliter digniorem, eam feminam ducere; ergo nullà ratione tenetur. Ex hoc enim rectè sequitur, in casu, de quo n. 107. deceptorem nullo titulo teneri ad matrimonium determinatè. Nam hoc nec exigit promissio, nec damnum. Non illa, utpote nulla; non damnum, quia matrimonium cum tali muliere pluris est, quàm tale damnum; Ergo.

Si quæras ulterius, an licet deflorator III3. deceptam in præmissio casu non teneatur ducere, tamen ei teneatur satisfacere pro usu corporis dolo obtenti? Et primo in casu, quo mulier ex magna inter ipsam, & promittentem disparitate, vel aliis ficti consensibus indiciis, à promittente datis, facile potuit dolum præsumere. 2. si mulier illam disparitatem ignoravit, vel, licet sciverit, adeò tamè à promittente assecurata est, (sed mero dolo) ut non potuerit timere dolum, sed judicio, etiam prudentium, securam videretur? Ad 1. aliqui affirmant, absolutè teneri ad id, quod ei præstare deberet, qui ab ea vi extorsit usum corporis; quia dolo defloravit, & sic injuriam deceptæ fecit. Sic Navarr. in summa latina c. 22. n. 76. alii censent teneri, non tamen ad tantum; sed id solùm, quod prudentis arbitrio definitum fuerit. ita Soto in 4. dist. 27. q. 1. a. 3. & alii: sed probabilius est, ad nihil in hoc casu teneri, quia pro tali casu,

## ARTICULUS III.

De habilitate contrahentium  
Sponsalia.

Generaliter loquendo illi soli censentur habiles, ad contrahenda Sponsalia, inter quos aliquando consistere potest matrimonium licite, ac valide contractum, modo tunc capaces sint dare consensum mutuuum, prout requiritur ad legitimam futuri matrimonii promissionem. Cum enim Sponsalia sint mutua promissio matrimonii *in futurum ineundi*, intelligi debet de matrimonio ineundo licite, & valide. Nam promissio rei illicitæ, etiam jurata, non valet; & cum substantialiter requirant consensum, mutuuum, deliberatum, liberum, externo signo manifestatum, cum animo se obligandi, fieri potest, quod (esto in futurum ad hæc capaces fieri possint) tamen invalide contrahant, dum hæc facultate carent. Dupliciter autem fieri potest, aliquos esse inhabiles ad ineunda Sponsalia de futuro 1. ratione impedimenti, quo laborant perpetui; 2. ex defectu ætatis, ad hoc requisitæ. Nam, si impedimentum sit dirimens, & perpetuum, nec humano jure tollibile, nunquam celebrare poterunt matrimonium licite, ac valide; si tantum impediens, nunquam licite: si autem sit defectus ætatis jure requisitæ, inhabiles tunc erunt naturâ, vel lege, ut dicemus infra; sed solum temporaliter, dum durat talis defectus.

Dixi, *si impedimentum sit dirimens, & perpetuum, nec humano jure tollibile*, ut, si matrimonium dirimat, vel jure naturali, vel divino positivo (si enim sit juris humani, & in eo dispensare solet Papa ex causis legitimis) valida erunt Sponsalia à sic impeditis contracta, sub conditione, si Pontifex dispensaverit, ut dicemus infra. Nam promissio matrimonii celebrandi pro tempore, quo non erit impedimentum (quando ex iusta causa removeri solet, ab eò, qui potest) nec est promissio rei illicitæ, nec sub impossibili conditione, ut constat ex L. non solet 10. ff. de bis, qui notantur infamia, junct. gloss. V. non solet. Et ideo dixi 2. si impedimentum sit perpetuum. Nam, si sit solum temporaneum (modo reliqua non

E

dca.

casu, quo mulier prudenter potuit, ac debuit advertere dolum, & non advertit: merito præsumitur, liberè consensisse, nec injuriam passâ; ex quo patet ad rationem in contrarium, maxime cum dato casu supponatur, nihil coactionis, ad concedendum alteri usum corporis, adfuisse.

114. Ad 2. affirmant aliqui, teneri defloretorem, non quidem ducendo, sed alio modo compensare usum corporis defloratæ per dolosam promissionem inductæ; ita Sylvester. V. Matrimonium 4. q. 8. & alii, quod verum judico, quoad obligationem præstandi estimationem damni, si mulierem ipse notabiliter excedat, sive hæc excessum ignoraverit, sive prudenter cogitare potuerit, non latere dolum; ratio est, quia adhuc injustè illam in duxit in Virginitatis jacturam, mulieri damnosam, qualiter teneretur, qui eam vi defloravit. Nam hujus damni reparationem justitia stricta petit. Injustum autem est, alterum dolo inducere in damnum, & restitutioni obnoxium secluso titulo à dolo excusante. Nec obstat, quod prudenter cogitare potuit, latere dolum. Nam etiam hoc stante, dolo est causa spei, & hæc damni, ex dolo, injustè, fallaciterque posito; inducitur.

115. Si demum quæras, an factus Promissor teneatur in Uxorem ducere corruptam, vel estimationem usus corporis sibi concessi, ad copulam, sub spe matrimonii, quando sciebat esse corruptam? Resp. non teneri determinatè ad eam ducendam; sed solum ad estimationem, quam habet usus talis corporis dolo obtenti, si ex hoc mulieri damnum secutum est, ratio 1. partis est ex n. 114. in fine: ratio secundæ partis est, quod justitia stricta obliget ad reparationem damni injustè illati: dixi: *si damnum secutum est*: nam aliàs justitia, seu jus alienum non est læsum in re, sed solum in affectu, & intentione, quæ injustitia, affectiva solum, non parit obligationem restitutionis; probabilius tamen est, eum teneri quoque satisfacere pro usu corporis sibi concessi, si super hoc conventum sit, etiam secluso alio damno; non quidem ex vi promissionis factæ; quæ nulla est: sed ex vi fraudis, seu fraudulentæ promissionis, cum justitia naturalis exigat, acceptum dolo, esse reddendum, vel æqualiter, aut formaliter.

Tom. IV.

deficiant ad consensum legitimè præstandum, naturâ, requisita) tale impedimentum non reddit inhabilem ad Sponsalia, validè, ac licitè contrahenda, quantum est ex hoc capite. Hinc, licet impuberes, septennio majores, tempore impubertatis non possint validè inire matrimonium, possunt tamen inire Sponsalia, quia impubertas est impedimentum solum temporale.

117. Ex hoc sequitur 1. à furiosis, & amentibus, non posse validè iniri Sponsalia, quamdiu sunt in statu furoris, aut amentia, ut habetur in c. *Neg. furioso*. 32. q. 7. ibi: *neg. furiosus, neg. furiosa*, matrimonium contrahere possunt, intellige tempore furoris, quia tunc sunt naturâ inhabiles, cum deficiat usus rationis ad se obligandum sufficientis. Et licet in eodem c. statim subjungatur: *sed, si contractum fuerit, non separantur*; ex quo aliqui inferunt, furiosos posse validè contrahere: textus tamen loquitur solum de matrimonio contracto ante furorem. Nec audiri debet gloss. in c. *dilectus de Sponsal. V. furiosus*, ubi videtur admittere, à furioso validè contrahi, si alter contrahentium sit furoris conscius, quia sic non patitur injuriam: nam nullitas talis contractus non oritur unice ex injuria, quæ alteri, furoris ignaro, fieret; sed ex defectu deliberationis inducto per furorem, repugnante tali contractui. Hinc à furioso, dum est in prædicto statu, nihil fieri potest, quod consensum liberum exigat; id, quod etiam dicendum de mente capro I. nam hic furioso equiparatur. L. 2. *de curat. furios.* junct. gloss. V. *extramentem*, & c. *sicut de Regularib.* Hæc tamen intellige, ut monui, solum de tempore furoris, seu illo, quo sui compos non est. Nam si habeat lucida quandoque intervalla, hoc est, si quandoque sui compos fiat, & usum habeat rectæ rationis, eo tempore contrahere poterit, & Sponsalia, & matrimonium, quantum est, vi sufficientis deliberationis. Nam ex alio c. prohiberi poterit, si sit frequenter recidivus; quia tunc habilis non est, ad educandam rectè prolem.

118. Sequitur 2. mutum, simul & surdum, qui habet intellectum adeo docilem, ut signis edoceri possit, quid sit matrimonium? & signis etiam indicare consensum, validè contrahere Sponsalia, & matri-

monium; ita Th. Sanchez l. 1. *de Sponsal. D. 8. n. 12. ex c. cum apud, de Sponsal.* ubi ad hanc quæst. de mutuo simul, & surdo propositam, responderetur: *si talis velit contrahere, non debet sibi denegari*; maxime; cum tales possint confiteri, & absolvi. Si autem aliquis sit simul mutus, surdus, & cæcus, putant aliqui apud Sanchez cit. n. 15. eum esse capacem matrimonii; sed ipse negat, siue talis sit à natura, siue ex accidenti, nisi ante hoc accidens sciverit, quid sit matrimonium, & eo posito possit dare signa sufficientia, & consensum debitum sensibilibus exprimere.

Sequitur 3. textus juris, quibus dicitur, *factum calore iracundis, non prius ratum esse, quam si perseverantia secuta apparuerit, judicium animi fuisse*, intelligendos esse de foro externo, & in specialibus casibus, ubi tale factum non est præsumendum, propter dubium, & ambiguitatem, nisi hanc præsumptionem tollat perseverantia. Nam sicut Sponsalia nullo modo contrahuntur per promissionem factam in amentia, ebrietate, & similibus, quæ plenum rationis usum impediunt: ut coll. ex c. *Neg. furiosus* 32. q. 7. & c. *dilectus, de Sponsal.* sic nec in calore iracundia, turbantæ rationis usum, ut tollant debitam rationis deliberationem, necessario consentii præviè debitam. Hinc coll. eas circumstantias, quæ impediunt voluntarium requisitum ad mortale, impedire etiam voluntarium requisitum ad Sponsalia. Neque dicas: potest quis extra amentiam, & ebrietatem, contrahere Sponsalia, sub conditione contingenti in amentia, vel ebrietate. Resp. id concedi; quia ex hoc non sequitur, celebrari Sponsalia in eo statu, ubi est defectus usus rationis, & plenæ libertatis; sed ad summum, poni conditionem. Unde promissio matrimonii concepta in calore iracundia ex hoc titulo non invalidatur, nisi tantus sit iracundia calor, ut impediatur usus rationis ad requisitam animi deliberationem pro imponenda sibi obligatione voluntaria requisitam, de qua dicemus infra. Eum autem calorem non fuisse tantum, merito præsumi potest, si etiam sedato animo in promissione prius facta perseveret; non, quod ea perseverantia requiratur, ut complementum contractus, & obligationis (sic enim etiam ab initio fuisset nullus, & tra-

& tractu temporis, & secuta perseverantia non convalesceret, imò perseverantia non esset) sed, ut signum, & indicium, valde probabile, quòd adfuerit deliberatio requisita.


Sequitur 4. Sponsalia non invalidari ex hoc, quòd in æstu cæci, ac libidinosi amoris concepta sint. Nam, licet ejusmodi amoris æstus multum rationem obnubilet, dicaturque furor & quædam amentia: vix tamen unquam tantus est, ut simpliciter excuset operantem à peccato gravi; furor autem, atque amentia, non verè, sed solum translativè est. Et ideo in foro externo defectus debita deliberationis vix præsumi potest; ut notat Gobat in Theol. Experiment. tr. 10. n. 27. & iudex in ejusmodi casu, ubi dubitatio foret, judicare debet, secundum ea, quæ plerumque contingunt, prout dicitur c. *inspicimus*, de reg. jur. in 6. quamvis negari non possit, eam promissionem in circumstantia libidinosi æstus in, vel ante copulam, non raro esse dubiam (ut observat Gobat cit. n. 26.) & rectè interdum ambigi, an adfuerit sufficiens deliberatio?

120. Cæterum, communis doctrina est, ad inducendam obligationem ex promissione; sufficere illam animi deliberationem, quæ sufficiens est ad peccandum graviter, licet conjuncta sit cum ingenti passione. Nam vehemens passio (amoris, iracundiæ,) regulariter non tollit eam animi deliberationem, quæ sufficit ad peccandum graviter, ut communiter sentiunt Theologi. Unde quando l. 9. ff. de Publicanis, dicitur, quòd locatio vectigalium, calore licitantis ultra solidæ conditionis modum facta, cum hac modificatione admittatur; *si is, qui licitatione vicerit, fidejussores, vel cautionem, prestare paratus sit*, non indicatur, contractum (his seclutis) ob calorem licitantis esse irritum, (nam cautio non pertinet ad substantiam contractus, nec contractui titulo ejus caloris irritum, valorem superinducere potest) sed solum, cautionem in securitatem futuræ observationis adhibendam. Quod autem adducitur ex l. 2. C. ad L. Juliam (ubi juramentum à Domino inconsulto factum, & ex eò, quòd nollit unquam servo suo conciliari) non probat nullitatem juramenti ex calore iracundiæ, sed ex imprudentia, & turpi animo fovea-

Tom. II.

da vel inimicitia, vel nunquam remittenda offensæ. Nec dictis obstat casus in c. *Dudum, de Conversione Conjugat.* ubi Vir quidam conjugatus, voto servandi castitatem obstrictus, post intervallum uxorem repetens, voti observatione se volens eximere (prætexendo, *se illud in calore iracundiæ fecisse*) justus, servare votum, eò, quòd postmodum illud fecerit coram testibus, & tabellione; ex quò aliqui arguunt; ergo votum calore iracundiæ factum, esset nullum, nisi postmodum illud iterum emisisset, nimirum sedato animi calore. Nam Pontifex præsentiam testium, & tabellionis non adduxit eo fine, ut per hoc ostenderet nullitatem voti ob iracundiæ calorem concepti; sed, ut demonstraret fundamenta, quibus ille voti valorem infringere, ac nullitatem probare nitebatur, inania esse, consequenter ad voti observationem omnino teneri.

Ex hoc coll. quando in L. *quidquid calore, ff. de Reg. jur. & L. 3. ff. de Divort.* dicitur: *quòd calore iracundiæ factum sit, nullius roboris, & momenti reputari, & pro infecto haberi*, solum procedere, quando calor iracundiæ talis est, ut motu iræ concitatus sic alteretur, ut quid agat, ferè non percipiat; sic Socinas, Menoch: & alii apud Barbof. in cit. c. *Dudum à n. 2.* quamvis in delictis (factum ex calore iracundiæ) excusetur, ut not. Julius Clarus in *Præct. V. Injuria*; sed intellige, si iracundia proveniat ex justa, non autem, si ex injusta causa. Ex *justa causa* provenire dicitur, cum quis irascitur, injustè provocatus verbis, vel factis; *ex injusta*; cum quis irascitur dando operam rei illicitæ, saltem negativè; v. g. ex amissione in ludo &c. Ex hoc manet communis regula (ut in principio dictum est) eos licitè, ac validè contrahere Sponsalia, qui nullo jure prohibentur. Nam aliqui prohibentur natura (quia vel perpetuò, vel saltem ad tempus, sunt incapaces ad legitimum consensum, ad substantiam Sponsalium requisitum) alii autem lege, ut consanguinei, affines, &c. de quibus in titulis seqq.



E 2

ARTI.

## ARTICULUS IV.

De aliis circumstantiis ad habilitatem contrahentium Sponsalia requisiti?

122. An, & qualiter habilitati contrahentium Sponsalia obstat impedimentum edendi consensum, vel internum, vel externum, articulo præcedenti dictum est; quia verò aliqui censent, ea vel invalidè, vel illicitè, vel utroque modo contrahi, si fiant clandestinè; vel inter Raptorem, & raptam; aut sine consensu parentum, vel eorum, sub quorum potestate sunt; aut adjectâ penâ per resiliens per solventem: de singulis dicemus in seqq.

## §. I.

## De Sponsalibus clandestinis.

123. Clandestinitatem (nullo nimirum teste præsentem) valori Sponsalium, etiam de futuro, nocere, tenent aliqui; sed rectius negatur, tum quia id nullo jure irritante ostenditur; tum quia *lex correctoria juris communis extendi non debet ultra casum expressum*, ut dicitur L. *Præcipimus C. de Appellat. & casus in tali dispositione omissus, relinquendus est in dispositione juris communis*. L. *commodissime ff. de liber. & posthum.* Decretum autem Tridentini, irritans matrimonia clandestina, non exprimit sponsalia de futuro; ergo de Sponsalibus clandestinis est casus omissus in dispositione Trid. ergo non est sub illa lege irritante, sed relinquitur sub dispositione juris communis: jure autem communi Sponsalia de futuro, quantumvis clandestina, valent à fortiori, cum eo jure olim valuerint matrimonia ex c. 2. de *Cland. De spons.* ibi: *si matrimonia ita occultè contrahuntur, quod exinde legitima probatio non appareat, ij, qui ea contrahunt, ab Ecclesia non sunt aliquatenus compellendi.* Et statim: *si persone contrahentium hæc voluerint publicare, nisi rationabilis causa præpediat, ab Ecclesia recipienda sunt, & comprobanda, tanquam in principio in Ecclesie conspectu contracta.* Et ita censet communior opinio Canonistarum.

124. Dices I. Prohibito matrimonio, censentur etiam prohibita Sponsalia; ergo prohibito matrimonio clandestino prohibentur etiam Sponsalia clandestina;

ant. prob. quia licet oratio, que quasdam nuptias senatorum inhiuit, de Sponsalibus nihil locuta sit; rectè tamen dicitur, sponsalia in his casibus, ipso jure, nullius esse momenti, ut habetur L. *oratio ff. de Sponsal. 2. quamvis verbis orationis cautum sit, ne Uxorem Tutor pupillam suam ducat, tamen intelligendum est, ne desponderi quidem posse.* ut dicitur L. *si quis Tutor 6. Vers. quamvis ff. de ritu nupt. 3.* sicut se habet matrimonium absolutum ad Sponsalia absoluta; sic se habet matrimonium clandestinum ad Sponsalia clandestina. 4. prohibito matrimonio censetur prohibitum esse id, per quod ad illud pervenitur; sicut, prohibito sine, prohibitum manet medium ad illum finem.

Resp. ant. verum esse, quando matrimonium omni modo est prohibitum; non autem, quando est prohibitum solum tali modo, (v. g. clandestinè) licitum autem, alio modo; v. g. *contrahendum publice*, seu *in facie Ecclesie*. Hinc concedo, prohibito matrimonio clandestino, prohiberi etiam Sponsalia clandestina, de matrimonio clandestinè, non autem publice contrahendo; quia in primo, non autem in secundo casu, sunt promissio rei illicitæ. Clandestinè alicui promittere futurum matrimonium eo modo contrahendum, quo illud contrahendum præscribit Ecclesia, inferret solum clandestinam promissionem, de futuro celebrandi matrimonium, quo id juxta mentem Ecclesie fieri debet; talis autem clandestina promissio non est contra ullam legem vel irritantem, vel etiam præcisè prohibentem ratione illius clandestinitatis; Ergo.

Ad. I. probationem Resp. I. in L. *oratio*, agi solum de matrimonio illis Senatoribus prohibito omni modo sic, ut nullo illud modo liceret celebrare. Resp. 2. instantiam ex cit. L. non esse à Lege correctoria juris communis, sed solum à Lege merè dispositiva. Quod etiam responderi potest ad Legem Tutor; præterquam, quod omni modo illi matrimonium cum pupilla sua interdicatur. Ex quo pat. ad 2. probat. Ad 3. Resp. Negando ly *sicut*. Fallit enim in multis. I. in *atate*. Nam Sponsalia impleto septennio absolute contracta, valent; non autem matrimonium. 2. absolute, & validè contracta per merum levem, injustè incussum, rescindi possunt; non

non autem matrimonium, &c. 3. mutuo sponforum consensu dissolvi possunt; non autem matrimonium &c. Ad 4. prob. jam constat; nam Sponsalia clandestina de matrimonio clandestinè contrahendo non sunt irrita propter suam *clandestinitatem*; sed, quòd in eo casu essent promissio rei illicitæ; cum etiam, si essent *publicè celebrata* de matrimonio clandestinè contrahendo, irrita forent ob eandem causam. Igitur tunc solum Sponsalia clandestina ex data in objectione ratione prohibita sunt, quando sunt *de matrimonio contrahendo clandestinè*, ubi talia matrimonia prohibita sunt; non de *celebrando publicè*, ac in facie Ecclesiæ. Certum autem est, quòd Sponsalia clandestina non sint talia, ex quibus *necessariò*, seu ex *natura* rei, vel regulariter, pervenitur ad matrimonium prohibitum, quo solo titulo censetur medium prohibitum prohibito sine; Ergo.

127. Dices. 2. saltem erit illicitum, inire Sponsalia clandestinè. Resp. plures tam è Canonistis, quam è Theologis concedere illatum; imò Cajetanus, & Armilla docent esse peccatum mortale. Verius tamen est, nullum esse peccatum, quia Sponsalia clandestina nullo jure prohibentur. Nec sine convincenti ratione, dicendum est, aliquid *sub mortali* prohibitum esse, ut docet S. Thom. Suarez, & alii, de quibus suo loco,

## § 2.

## De Sponsalibus Raptoris cum Rapta.

128. Cum certum sit, *matrimonium*, jure novo Trid. *sess. 24. de reform. matrim. c. 1.* contractum à Rapto cum Rapta, quamdiu hæc in ejus potestate manserit, irritum esse; questio est, an etiam sic irritentur Sponsalia de futuro? affirmativam docet P. Sanchez *l. 7. matr. D. 13. n. 171.* ac ex illo P. Robertus König in *Tractat. de jure matrim. Principum, ac privatorum, Tit. 7. in 4. Decret. p. 3. §. 5.* cum aliis. Negativam autem Perez. *D. 38. S. 4. n. 8.* quem citat, & sequitur P. Jacobus Wiestner de *Canon. imped. Conjug. a. 16. n. 9.* Rationes affirmandi sunt. 1. quia lex etiam correctoria, & poenalis, extendi debet, ubi omnino eadem ratio militat; at hæc in præsentem reperitur. Nam Tridentinum pro eo

tempore irritavit matrimonium, ut consuleret plenæ libertati ad id requisitæ, quæ non omnino plena est, dum Rapta manet in Raptoris potestate; at hæc ratio etiam pro Sponsalibus militat, ad quæ jura quoque plenam libertatem postulant. 2. quia, quòd dispositio Trid. licet correctoria juris antiqui, matrimonia clandestina irritans, non extendatur ad clandestina Sponsalia de futuro; non facit instantiam pro præsentem casu; ibi enim non est utrobique eadem omnino ratio. Nam motivum *adulterii*, quod est in matrimonio clandestino, cessat in Sponsalibus clandestinis; at in Sponsalibus Raptoris & Raptæ militat eadem omnino ratio, quæ contra ipsorum matrimonium; ergo. 3. Quia in subordinatis, quando est eadem omnino ratio, dispositio quoad unum afficit etiam alterum, quod ad ipsum ordinatur.

Sed hæc non videntur convincere. 129.

Nam ad 1. Resp. Trans. maj. n. min. 1. si enim ratio, propter quam Concilium irritat matrimonium inter Raptoem & Raptam pro eo tempore, quo est in ejus potestate, sit defectus plenæ libertatis, erit illius plenitudinis, quam jura exigunt ad *matrimonii valorem*; sed hæc plenitudo in Sponsalibus de futuro non requiritur; nam ex communi sensu Sponsalia de futuro non exigunt libertatis plenitudinem, quam petit matrimonium, eo, quod hoc semel validum, nullo humano jure rescindi possit; secus illa: accedit, quòd, consentire in contractum jure humano facile rescindibilem, non exigit tantam immunitatem à vi, & metu, quantam exigit consensus in contractum semel factum, non amplius rescindibilem.

Deinde principium assumptum in multis fallit. Nam dispositio (per quam a sylo Ecclesiæ excluduntur Rei publici latrocinii, depopulationis agrorum, homicidii, vel mutilationis membrorum in ipsis Ecclesiis, eorumque Cæmeteriis, Rei homicidii proditorii, assassinii, hæresis, ac Rei læsæ majestatis humane in ipsam personam Principis) *juxta complures* est dispositio correctoria juris antiqui, & odiosa (cum restringat jus asyli, seu favorem Ecclesiarum, quo protegitur reverentia, & honor Ecclesiis debitus, ne sint in minori honore, quam olim Ethnicorum aræ, & statuæ) & tamen extendi non debet ad alia

crimina, & casus non expressos, etiam graviores, ex *ulla quantuncumq; gravi causa*, ne quidem ob *paritatem, seu identitatem, aut etiam majoritatem rationis*, ut manifestum est ex constitut. Gregorii XIV. quæ incipit, *cum alijs nonnulli*, edita a. 1591. Dixi, *juxta complures esse dispositionem odiosam*. Alii enim rectius dicunt *favorabilem*; cum directè intendat favorem, ac reverentiam Ecclesiarum; & tamen, juxta citatam constitutionem non admittit extensionem, *ad non expressa*.

130. Similiter in *c. quanto 7. de Divort.* Pontifex consultus à Ferrariensî Episcopo, *an altero Conjugum ad haresim transente, qui relinquatur, possit ad secunda vota transire?* refertur cum distinctiōe; & affirmat, si unus *infidelium* convertitur ad fidem, altero in infidelitate permanente, aut nullo modo illi cohabitare volente, aut non nisi cum injuria Creatoris, vel periculo perversiōis: negat autem, si unus *est fidelibus* labatur in *heresim, aut gentilitatis errorem, et si in hoc major appareat contumelia Creatoris*, ut ait textus. Et ratio est; quia, cum tota vis legis, & juris positivæ, pendeat à voluntate legislatoris ex justa ratione procedentis in tali casu, identitas rationis bene concludit, etiam alterum (in quo est eadem omnino, vel major ratio) *æquè dignum esse prohibitione*; non autem, *ex eadem esse actum prohibitum*, nisi probetur voluntatem legislatoris ex illa motam, tam pro hoc, quam pro illo prohibendo, ut patet in casu prius allato. Et ideo Barbosa in *tr. Locor. com. argum. à loco 68. n. 3* (licet admittat valere argumentum à majoritate, vel paritate rationis etiam in correctoriis ad declarandum dubium) negat valere in iisdem ad extendendam dispositionem; nisi casus non expressus contineatur sub universali, ex qua est illatio *necessaria* ad particularia sub ea contenta, ut dicemus infra.

131. Ad 2. rationem Resp. ex ipsa disparitate ibi assignata confirmari valorem Sponsalium raptoris, & raptæ; nam nec in his invenitur eadem ratio, quæ in matrimonio raptoris, cum rapta, ut dictum est *n. 129*. Sponsalia enim de futuro non exigunt tantam libertatem, quam tam matrimonium; ergo licet raptus impediatur libertatem *matrimonio* necessariam, malè hoc titulo arguitur ad mera Sponsalia de futuro. Ad 3.

rationem affirmandi, responsio constat ex *n. 128*. ad summum enim procedit, quando illud subordinatum ducit ad id, cui subordinatur, *illicite*, ac *invalidè* faciendum; v. g. ad matrimonium cum Rapto celebrandum, *dum rapta est adhuc in Raptoris potestate*. Cum autem fieri possint eo tempore Sponsalia de celebrando matrimonio tunc, quando Rapta fuerit in loco tuto, & extra potestatem ejus, non est, unde illa Sponsalia invalidentur. Accedit, quòd in hoc casu non sit eadem omnino ratio de matrimonio, & Sponsalibus contractis à Rapto cum Rapta, dum hæc est in potestate Raptoris, ut constat ex dictis.

## §. 3.

## De Sponsalibus contractis absque consensu Parentum.

Quæstio est de Sponsalibus tam de præ- 132. senti, quam futuro, & quidem solùm, *an sint valida*, taliter celebrata. Resp. certum esse, matrimonia à filiis familias sine consensu Parentum contracta, vera, & rata esse ex Trid. *Sess. 24. de reform. matrim. c. 1.* ubi affirmatio in contrarium (quòd nimirum *irrita sint, vel parentes ea rata, vel irrita facere possint*) falsa dicitur; adeoque improbabilis positivè. Ex quo idem concluditur de Sponsalibus de futuro; cum & hæc mutuo, liberoq; consensu contrahentium consent, nec eo titulo sint promissio rei illicitæ, nisi sint de celebrando matrimonio in certis casibus, ubi præterito parentum consilio id non licet; de quibus infra. Ad valorem igitur Sponsalium, vel de futuro, vel de præsentî, non requiritur *voluntarium dependens à consensu parentum*, vel eorum, qui loco parentum contrahentibus sunt; quod etiam expressè habetur in *c. Cum Virum 12. de Sponsalibus*, ubi dicitur: *quòd puella* (in matrimonio spirituali, seu susceptione status religiosi) *in atate jam nubili constituta* (quia liberum habet arbitrium) *in electione propositi, si qui parentum non cogatur voluntatem*. Ex quo colliges, ad Sponsalia sive de futuro, sive de præsentî, necessarium esse consensum personalem Sponsorum, vel per se, vel per alium ad hoc specialiter constitutum.

133. Si dicas: ad matrimonium spirituale, seu professionem Religiosam, sufficit *paternus consensus*; ergo etiam ad Sponsalia de futuro, vel presenti. Ant. prob. ex cit. c. *Cum Virum*, ubi dicitur, quod *Monachum paterna devotio faciat*. Resp. 1. ex hoc sequi, quod *solâ voluntate parentum* quis fieri possit Religiosus, vel Coniunx; quod admitti non potest. Resp. 2. textum intelligendum esse, quod faciat *occasionaliter*, ut notat gloss. V. *eod. ed.*, quod filius aliquando vel obtemperet voluntati paternæ ex debito honestatis, non necessitatis; (ut dicitur 20. q. 1. c. *Illud, & c. puella*) vel deinde sequatur rati habitio filii; non autem *absq. omni consensu filii*, etiam tacito, ut expressè definitur c. *sufficiat*. 27. q. 2. c. *Ubi non est*. 30. q. 2. c. *Tuas* 5. de Sponsa duorum, ibi: illud te volumus observare, ut, postquam inter legitimas personas *consensus legitimus* intervenerit de presenti, qui sufficit in talibus iuxta canonicas sanctiones, & *si solus defuerit, cetera, etiam cum ipso coitu frustrantur*, &c. & c. unico de *De spons. impub.* in 6. ubi expressè dicitur, ut exponit Rubrica, Sponsalia pro absentibus filiis non tenere *nisi approbaverint tacite, vel expressè ex post facto*. Et ideo Canones in contrarium, requirentes *consensum parentum*, intelligendi sunt de *debito honestatis*, ut dictum est. Neque obstat, ibi dici: quod *Monachum faciat, aut paterna devotio, aut propria professio*; ac subjungatur: *quidquid horum fuerit allegatum, tenebit*; ex quo videtur, quod per se sufficiat alterutrum. Nam, cum in textu expressè ponatur: ut puella (de qua ibi) à religione non possit ad seculum reverti, sufficere vel professionem, vel etiam paternam devotionem, ubi *secuta est puella rati habitio*. Quare textus intelligendus est, ut not. gloss. V. *quidquid horum*, quod sufficiat *vel propria professio, sine patris devotione; vel paterna devotio cum filii rati habitio*.

134. Ex dictis sequitur 1. in hac materia non esse locum dispositioni juris civilis, L. 2. de *Ritu nupt.* ad hoc (ut nuptiæ consistant) *exigentis consensum omnium*, & eorum, qui *contrabunt*; & eorum, in quorum potestate sunt; ac, ad Sponsalia, L. 7. §. 1. ff. de *Sponsal. eorundem consensum, quorum in nuptiis desideratur*. 1. quia circa *valorem matrimonii* (cum sit causa merè Spiritualis) ni-

hil directè potest potestas laica, ut constabit ex dicendis; & leges in contrarium, abrogatæ sunt à jure Canonico, test. Bellarm. l. 1. de *matr. c. 19. & 20.* apud Sanchez l. 4. D. 22. n. 3. 2. quia, licet ratio naturalis *suadeat*, habendum esse *consensum parentum in nuptiis filiorum*, in quorum sunt potestate; tamen *non precipit, sed suadet, habendum esse*, nimirum ex honestate, vel etiam quandoque ex obligatione; ut dicemus infra.

Sequitur 2. matrimonium *in scitis*, 135. vel etiam invitis parentibus ab eorum liberis contractum; nec ab illis, nec à Magistratu Laico rescindi posse 1. quia matrimonium validum, ex institutione divina est insolubile jure humano, ut dicemus infra 2. quia id apertè habetur in *Trid. cit. sup. n. 132* saltem de parentibus, & de Magistratu Laico. Sequitur 3. quod nec statuta nec consuetudines municipales, nec poenæ transgressoribus impositæ à potestate laica, valeant, quæ prohibent filiis matrimonium contrahere sine voluntate parentum; & propterea, quod legem ejusmodi violaverint, puniunt. Ex hoc ipso enim jure canonico abrogatæ sunt, ut habetur ex *Trid. c. 1.* ita Sanchez Rebell. Coninch. Reginald. & alii; quos cit. & sequitur Barbof. in *cit. c. 1. Trid. n. 4.*

Dices tamen 1. quod contra leges fit, 136. invalidè fit; sed contractus matrimonii vel Sponsalium, *invitis, vel etiam in scitis parentibus*, fit contra leges; 2. contractus Sponsalium, vel matrimonii, sine consensu parentum, *est non legitimus*, ut const. ex 30. q. 5. c. 1. 3. & 4. item ex 32. q. 2. c. 12. & 13. Demum 3. tale matrimonium saltem est illicitum; ergo Sponsalia (seu mutua illius promissio de futuro) sunt de re illicita, consequenter sunt invalida. Ad 1. Resp. factum contra leges (quæ vim obligandi habent in tali materia) esse invalidum, *si leges sint irritantes, seu annullantes actum*; non autem, *precisè prohibentes*; aliàs nullum valeret matrimonium contractum cum impedimento solùm impediante. Ad 2. Resp. verum esse in c. *Aliter* 30. q. 1. dici, conjugia celebrata omnis ibi præscriptis solennitatibus (inter quas est consensus parentum) vocari potius *adulteria, contubernia, stupra, fornicationes*, quàm *Conjugia legitima*; sed nihil contra

contra superius dicta inde concludi; ad quod ostendendum:

137. Supp. 1. inibi reprobati ejusmodi matrimonia, tanquam *non legitima*, solum eo titulo, quod sic essent *clandestina*, ut patet ex Rubrica c. *Aliter*; consequenter in quantum erant contra legem talia matrimonia *precise prohibentem*; non *annullantem*. 2. ideo, quia mulier tali casu non accipiebatur *solemniter*, ut habetur in textu, ibi: *ac solemniter accipiat*. Supp. 2. solemnitates ibi præscriptas, ut matrimonium esset *Solenne*, fuisse sequentes: nimirum ut foemina prius peteretur ab his, qui supra illam dominationem, vel custodiam habebant; & à parentibus, & propinquioribus sponsaretur, & legibus daretur, & suo tempore sacerdotaliter, ut mos est, cum precibus, & oblationibus à Sacerdote benediceretur, & à paranympis custodita, & sociata, ipsa, & Sponsus, biduo, vel triduo orationibus ambo vacarent, & castitatem custodirent.

138. Supp. 3. has solemnitates non fuisse *substantialiter* requisitas, ad valorem matrimonii; sed tantum ad ejus *solemnitatem* accidentalem, seu ut mulier diceretur *ducta solemniter*, & haberetur *tanquam Uxor primi ordinis*, ut rectè notat Basil. Pontius l. 7. de matr. c. 54. n. 5. *nec obligasse sub peccato*. Nam in cit. c. *aliter*, *ita peracta*, expressè dicitur *ejusmodi matrimonia vocari potius adulteria*, quam *legitima conjugia, nisi voluntas propria suffragaverit*; ergo ubi contrahentium voluntas aderat, conjugia vera erant, quoad substantiam; sed *non solennia*; non ex defectu solemnitatis substantialis in matrimonio simpliciter; sed solum accidentalis, & quæ *solennis*. Deinde postquam in c. *aliter*, illæ solemnitates recensitæ, & rursum in c. *Nofrates* repetitæ sunt, statim subjungitur: *hæc sunt pacta conjugiorum solennia*; & additur: *peccatum autem esse, si hæc cuncta in nuptiali foedere non interueniant, non dicimus*: ergo sine illis licitè fiebant pacta nuptialia *non solennia*; ergo foederi nuptiali, quoad substantiam accidentales sunt, & citra culpam omitti possunt; quibus positis.

139. Resp. ibi per *ly non legitimum* intelligi solum *non solenne*, quod stat cum valore actus, ut constat ex num. priori; & in ejusmodi casu talia matrimonia *non solen-*

*nia* vocari supra, adulteria, fornicationes &c. *si non suffragetur voluntas propria*. Nam si sine hac carnaliter conjungantur, supra erunt, vel fornicationes, vel adulteria &c. Fortassis etiam dici potest, prædictos concubitus eo titulo sic appellatos, quod essent non *cum Uxore* simpliciter. Nam mulier ducta minus solemniter, jure antiquo non dicebatur *Uxor simpliciter*, honorato Uxor nomine, ut expressè habetur c. *non omnis*, 32. q. 2. ibi: *Non omnis mulier juncta viro Uxor est, quia nec omnis filius, est heres patris*. Quæ enim verè ducta erat, sed non legitime, hoc est, minus solemniter, in re quidem Uxor erat, non tamen Uxor vocabatur, sed *concupina*; sicut Agar, Uxor Abraham, sed non tamen dicebatur, Uxor Abraham, sed *ancilla*, seu *concupina*, & filius ex hac, *filius quidem, sed non heres*.

Idem respondetur ad c. *Nofrates*, 140. quod est tertium in eadem causa, & questione. Nam ibi expressè habetur, consensum eorum, in quorum potestate sunt sponsi (& reliqua ibid. enumerata) requiri, *ut eorum pacta nuptialia solennia sint*; nec plus habetur in c. 4. *cod.* Quod affertur ex c. 12. seu *non omnis* 32. q. 2. nihil facit contra dicta; cum aliud non velit, quam non esse Uxorem, honorato nomine, quæ ducta est non solemniter, seu sine publicis nuptiis, ut jam expositum est, sed *Concupinam* solum, hoc est, *verè ductam, sed non solemniter*. Ex quo deducitur jure antiquo in duplici Classe fuisse *vera, & valida* matrimonia, sed *diversis nominibus expressa*. Nam quædam appellabantur *solennia* (celebrata scilicet cum solemnitatibus præscriptis, de quibus supr.) alia *non solennia*, seu celebrata sine dictis solemnitatibus; & illa fuisse appellata *legitima*, quod fierent secundum præscripta legum, etiam quoad circumstantias substantiæ matrimonii extrinsecas; alia verò *non legitima*, quod, licet essent in substantia vera matrimonia, tamen deficerent in circumstantiis lege præscriptis, sed solum extrinsecis, de quo V. Pontius cit. l. 7. c. 57. à n. 6.

Hinc, juxta duplicem differentiam 141. matrimonii *solennis*, & *non solennis*; *legitimi*, & *non legitimi*; etiam mulieres, quæ verè, ac substantialiter valido matrimonio ductæ, veræ Vxores, ac Conjugatæ

gata erant, aliter, & aliter fuerunt appellata. Cum enim DEI permittu in lege veteri unus habere possit plures Uxores, ad distinctionem aliquas vocabant *Uxores Primarias*; alias, *secundarias*. Nam, sola mulier solenniter ducta, vocabatur *Uxor Primaria* seu *primi ordinis*, atque adeo *Uxor simpliciter*; ducta vero minus solenniter, *non Uxor simpliciter*, sed cum addito, *secundaria*, seu *Concubina*; qualiter respectu Abraham erat Sara, & Agar. Illa enim dicebatur *Uxor simpliciter*; ista, solum *ancilla*, & *Concubina*, licet ambæ forent ei vero conjugio seu matrimonio copulata, sed Sara solenniter; Agar minus solenniter, de quo expressè Pontius *sup. cit.* Et hoc sensu accipiendò nomen *Concubinae* (nimirum pro muliere vero, ac valido, sed minùs solenni matrimonio copulata Viro) olim permittebantur *Concubinae*; non autem sumpto nomine *Concubinae* pro muliere, nullo, etiam non solenni matrimonio, ritè copulata, sed solum libidinis causâ domi retentâ, de quo V. Pereyra in *Elucidario, à marginali num. 1505. cum seq.* Ad 3. in n. 136. Resp. concedi, Sponsalia (seu promissionem futuri matrimonii) celebrandi in circumstantiis (quibus matrimonium celebrare non licet) omnino invalida esse ex ratione inibi data; quia scilicet promissio futuri matrimonii, celebrandi, in circumstantiis, in quibus id prohibetur ab Ecclesia, foret promissio rei illicitæ: sed negari, semper illicitum esse, matrimonia celebrare ignorantibus, aut etiam invitis Parentibus, ut dicemus sequenti numero.

142. Si enim quæras, an sit peccatum, in scitis, aut invitis parentibus celebrare Sponsalia? Resp. regulariter non esse peccatum. Sic Goffredus in *summa, de desponsatione Impub. n. 13.* Henriquez l. 11. matr. c. 13. n. 13. & alii 1. Ratio est 1. ex c. *Cum Virum. Sup. cit. n. 132.* deinde, quia inferior non tenetur obedire superiori præcipienti aliquid in eo, in quo illi non subditur; at quoad contrahendum matrimonium filius est liber, & sui iuris, nec in hoc parentibus subditus, teste D. Thomâ 2. 2. q. 104. a. 5. in corp. & in 4. dist. 29. q. unic. a. 4. quia in matrimonio, est quasi servitus perpetua, mutuam amorem exi-

gens; ad hanc autem hominem, qui liberæ conditionis est, parentes compellere regulariter non possunt; dixi: regulariter, ut exciperem aliquos casus, de quibus in sequent.

Dubitatur igitur 1. an filius obligetur 143. inire matrimonium, quod Pater spondet, vel ineundum jubet? Pro affirmativa stat c. 1. de *Despons. impub.* ubi proposito casu Sponsalium, à parente celebratorum nomine filii impuberis, rescribit Honorius Papa Episcopo id quærenti: *si aliquo modo non consentit filius, fieri non posse; potest autem filium nondum adultum (voluntas cuius discerni non potest) pater cui vult matrimonio tradere. Et postquam filius pervenerit ad perfectam ætatem, omnino debet hoc adimplere.* Ubi notandum, quòd verbum *debet* importet sui naturâ necessitatem, & præceptum, ut tradit gloss. in c. *Proposuit. V. non debet, de Appellat.* & verbum *omnino debet*, importet præcisam necessitatem; ita Sotus in 4. dist. 29. q. 1. a. 2. & alii.

Sed nota, talem filium, pro quo Pa- 144. ter Sponsalia contraxit, posse considerari vel in statu, quò jam determinatus est, ad ducendam aliquam uxorem; vel in statu, quò determinatus est ad vitam non in conjugali, sed alio statu ducendam; quibus præmissis: Resp. 1. Filium, jam aliàs determinatum ad vitam conjugalem ineundam, non teneri ad implenda Sponsalia, quæ pater pro illo promissit, aut implenda præcipit (nisi hoc opus foret ex causâ multum præponderante nativæ filiorum libertati in electione personæ, cui semel electæ, perpetuò convivere debet; qualiter fieret, si necessarium foret, ad bonum pacis publicæ, componendas graves inimicitias inter parentes, & consanguineos eorum, cum quibus est contrahendum. Ratio 1. partis est, ex gravissimis quandoque malis, & infausto exitu nuptiarum, quas liberi, & eorum imperio, amplecti debent cum illa persona, ad quam affectum non habent, ut experientiâ certum est. Ratio 2. partis est, ex pietate, quâ liberi bono communi, Patriæ, vel parentibus succurrere debent in gravi necessitate, præsertim prædictis malis præponderante; ita S. Thomas, in 4. dist. 29. q. unic. a. 4. in corp.

145. Resp. 2. non obligari filium, ubi determinatus est ad statum oppositum Conjugali (v.g. Religionem) nisi ob parentum gravem indigentiam, si abstinendo à tali statu, & amplectendo conjugium, possit eos sublevare. Ratio 1. partis est; quia liberi in electione status non subfunt positivo parentum imperio, ut constat ex n. 142. Ratio 2. partis est, quia jure naturali parentibus in gravi necessitate constitutis ex pietate tenentur succurrere per ea media, quæ licitè amplecti possunt, licet aliquo minori suo commodo. Unde Filius (qui non est determinatus ad statum conjugalem, sed alium) nec in dicta parentum exigentia; illorum voluntate, vel filiali pietate, obligatur ad matrimonium determinatè, si hoc non sit unicè necessarium ad eam parentum indigentiam per hoc sublevandam; ut si idem illis præstare possit in statu clericali, ex redditibus beneficii; vel calibatu, sæculari, aut alio assumpto aliquo munere. Quia tunc matrimonium non est medium unicè necessarium procurandi finem; ad quem in dicta suppositione obligatur.

146. Resp. 3. filium non teneri implere Sponsalia, quæ pater promisit; vel inire matrimonium, quod parentes volunt, secluso tali casu necessitatis, vel indigentia parentum, aut boni communis, de qua superius 1. si sit determinatus ad alium statum, quàm conjugalem; vel, esto determinatus sit ad hunc, sed ex justa causa non vult eam, quam parentes volunt. Nam tali casu parentes injustè prohibent, vel impediunt filium in justo usu suæ libertatis à natura concessæ, ad liberè subeundam matrimonii servitutem, principio quidem voluntariam, sed deinceps necessariam. Revera enim magnum onus est, & difficillima servitus, obligari perpetuò ad convictum cum aliqua determinatè, præsertim acceptà sine proprio in eam affectu, alieno solum ductu. Hinc Bellarm. l. 1. de matr. c. 19. propos. 3. censet, Filium, justam habere causam, non implendi voluntatem parentum 1. si vellent eum indigno matrimonio collocare, v. g. propter majorem dotem; 2. si vellent, ut ducat ægram, vel imprudentem, aut duris moribus, ubi filius prudenter credit, se cum illa non pacificè, vel cum affectu conjugali victurum. Unde injustè

agerent parentes, si filium in tali circumstantia justè reuocentem, asperè tractarent, vel plus æquo negligenter, aut etiam opprimerent; & si talibus mediis liberos tandem sic compellerent, non forent immunes à peccato, & pœnis, de quibus dicam infra.

Ad rationes in contrarium, & primò ex c. 1. de despons. impub. Resp. etsi verum sit, quòd verbum *debet*, præsertim quando coniungitur cum verbo *omnino*, regulariter importet in legibus præceptum, ut not. Barbof. de dictionibus usu frequentatis V. *debet*. n. 2. & V. *omnino*. n. 14. interpretationem tamen congruam recipere à jure communi (ut docet V. *omnino*. n. 18.) & ex materia subjecta; quòd nimirum quandoq; importet solum *debitum honestatis, & decentie; non necessitatis, & præcepti*, licet coniungatur illi verbum *omnino*. Sic ille V. *debet*; n. 6. in præfenti autem casu materia subjecta est *matrimonium*, quod jura volunt gaudere plenà libertate, & carere necessitate, præsertim injustè imposità. Quare ubi filius extra casus (de quibus à n. 144.) recusat tale matrimonium, non significat *debitum necessitatis*, seu præcepti. Sed tantum *debitum decentie, & honestatis*, pro ut est in casu præfenti.

Dubitarur 2. an peccet filius, si non impleat Sponsalia, quæ parentes promiserunt; sed insciis, vel invitis illis, aliud, quàm illi præcipiunt, matrimonium ineat? affirmativam docet Sotus in 2. dist. 28. q. 1. a. 1. & plures alii apud Sanchez l. 4. D. 23. n. 9. quorum ratio est, quia secus, in re gravi, jus parentum vehementer læditur, cum enim habeant onus, habendi curam liberorum, illisque providendi, etiam de nuptiis; habent quoque jus exigendi, ut liberi etiam in hoc ipsis pareant. Ant. pat. 1. ex jure gentium, cui conformiter Evaristus Papa in c. *Aliter*, 30. q. 5. dixit: *pro nupta non habeatur puella, quam pater non desponsat*, & Leo Papa. c. *Qualiter*, 30. q. 5. *non esse Virginis pudoris, maritum eligere, sed judicium parentum expectare*. Idem habetur in sacris litteris, Sap. 7. ibi: *da filiam tuam viro prudenti, & 1. Cor. 7. à parentibus tradendas esse filias nuptiis*.

Resp. Filium, cessante justà causà non implendi voluntatem parentum, omnino peccare, illis insciis, vel invitis, nec quidem

quidem petito eorum consilio, contrahendo matrimonium cum indigna; vel etiam cum digna. Hanc sent. Sanchez cit. l. 7. hic D. 23. n. 9. probabilissimam vocat. Nam hoc saltem suadent rationes in n. 148. adductæ pro parte affirmativa. Id enim exigit gravitas negotii, & naturalis filiorum pietas in parentes, nimirum, ut in tali negotio, *saltem parentum consilium* requirant. Dixi *consilium*; nam licet teneantur *petere* parentum consilium; non tamen tenentur illud *sequi*; sed illis prius consultis, quod volunt, posse contrahere matrimonium; nec ex hoc præcisè titulo (*quod parentibus invitis contrabant*) peccare. Nam in his, quæ ad proprii corporis sustentationem, & prolis generationem pertinent, omnes sunt pares, & filii parentibus non subjiiciuntur, ut docet S. Thom. 2. 2. q. 10. a. 5. & q. 104. a. 5. in corp. Cujus ulterior ratio est, ex dictis supra: & ita complures tenent, quos citat, & sequitur Sanchez cit. D. 23. n. 10. dixi: *ex hoc præcisè titulo*, quod *contrabant illis invitis, post petitum consilium*. Nam aliud est ratione scandali, si exinde prudenter judicare possent, nascituræ graves inimicitias, odia, & similia mala, quæ sine dubio cavere debent; sed ex alio titulo, vel justitiæ, pietatis, vel Charitatis &c.

150. Ad rationes in contrarium, Resp. jus parentum (seclusis aliis titulis v. g. infamia &c.) non lædi à filiis per matrimonium contractum *illis prius consultis*, licet invitis; cum se non extendat ad amplius, quam, ut *sine petito eorum consilio non contrabant*, quin parentes jure possint exigere, ut *illud etiam sequantur*: nec propterea petito consilii inutilis est, cum eo petito, à parentibus complura proponi possint, quibus auditis, & rectè perpenſis, nec Sponsalia, quæ volebant, ineant; vel, si jam iniverunt, aut justè rescindant, aut aliâ minus nociturâ viâ declinent. Quæ afferuntur ex jure canonico, & sacris literis, de quærendo parentum consensu, ostendunt solum *debitum decencie*, & honestatis; *non præcepti*, & necessitatis; ea enim tendunt solum *ad consilium petendum*. Ad id, quod additur de *exhereditatione*, constabit ex dicendis infra.

Tom. IV.

## §. 4.

An Sponsalibus adjici possit pactum pœnæ solvendæ à resiliente?

Loquimur de pœna propriè dicta, nimirum ex propriæ pecuniæ, vel patrimonii diminutione persolvenda; non de illa, quæ consistit solum in non acquirendo lucro, quæ est pœna impropriè dicta. In hac materia considerari potest resiliencia, seu recessus, à Sponsalibus, dupliciter. 1. si fiat justè, ac ex legitimâ causâ. 2. si fiat injustè. Difficultas est de resiliente *perfidè, & citra justam causam*. Nam justè resiliens caret culpâ; consequenter & pœnâ; his præmissis: prima sententia docet, simpliciter irritum esse pactum pœnæ propriè dictæ, à resiliente solvendæ; sic Pirhing de spons. n. 22. citans P. Sanchez. hic l. 1. D. 30. à n. 1. quorum ratio est, non solum ex jure civili (L. fin. C. de spons. ibi: *si cautio, pœnam stipulationis continens, fuerit interposita ex utraque parte, nullas vires habebit; cum in contrahendis nuptiis libera potestas esse debeat*; & L. Titia ff. de verborum obligat. ubi talis stipulatio *contra bonos mores esse dicitur; & in bonestum videri, vinculo pœnæ, matrimonia obstringi, sive futura, sive contracta*) sed etiam jure canonico, ut habetur in c. Gemma, 29. de spons. ubi Pontifex urgentem ejusmodi pœnæ solutionem jubet, etiam per censuras ad desistendum compelli, motus ex hoc, *quod matrimonia debeant esse libera*, quæ ratio universalis est sive justè, sive injustè resiliencia fiat; & ratio est, quia metus pœnæ, à resiliente solvendæ, in casu perfidæ resiliencia, minuit libertatem ad contractum matrimonii requisitam, ut dicitur in cit. c. Gemma; eadem autem ratio militat, licet causâ resiliendi justa sit, cum & in hoc urgeat metus pœnæ. Unde hoc procedere volunt etiam in casu, quo pœna solvenda foret, non tantum ab ipso resiliente; sed etiam à consanguineis, & conjunctis ejus. Hanc sententiam valdè probabilem censet Haunoldus tom. 1. de Just. tr. 4. n. 364. eamq; tam Judici, quam Confessario, in absolutione à tali pœna, in praxi tutam existimat.

Cæterum probabilius est, pactum Sponsalibus adjectum de pœna propriè dicta

F 2

dicta ab injustè resiliente, vel ejus conjunctis persolvendâ, licitum, & validum esse. Sic Castropalaus, *de spons. D. 1. p. 9. n. 3.* & complures alii; quia textus juris indefinite loquentes, non præjudicant huic assertioni limitanti pœnam, ad solum *injustè* resilientem; & solum reprobant jus Romanum, quo licebat non tantùm à Sponsalibus, sed etiam matrimonio divertere, modò divertens, seu resiliens vellet solvere pœnam legibus statutam, nimirum amissionem arrhæ, dotis, & donationis propter nuptias, etiam in casu, quo ex justa causa resiliiret, ut habetur *l. 1. de spons. & toto tit. ff. de Divortio*, ut testatur Castropal. cit. & alii; consequenter irritant solum pactum de pœna solvenda à justè resiliente.

153. Accedit, quòd allati textus longè aliud intendunt, quàm eum sensum, pro quo à contrariis adducuntur. Nam in cit. *L. sin.* postquàm Imperator statuit, ut, si tantùm unus ex Sponsis tradit arrhas in pignus secuturi matrimonii, & culpâ non tradentis non sequatur matrimonium, *hic tenetur in duplum* (nimirum & arrhas receptas restituere & tantundem de suo patrimonio) imò (si inter partes conventum sit) *etiam triplum, & quadruplum, si culpabiliter recedens, sit major 25. annis; si autem minor, satisfaciatur. solum restituendo arrhas receptas*: statim subjungit: *extra definitionem autem hujus legis, cautio, pœnam stipulationis continens, vires nullas habebit*, si nimirum contineat pœnam ultra quadruplum arrhæ, de qua immediate prius egerat, ut ibid. notat gloss. Nam tunc quadruplum haberet rationem pœnæ quoad solum excessum reprobata; ergo per cit. legem, non tantùm non reprobatur omnis cautio pœnæ conventionalis; sed potius stabilitur.

154. Deinde in cit. *L. Titia*, nihil aliud res ipsâ dicitur (ut patebit eam legenti) quàm quòd non teneat pœna, *de qua persolvenda parentes, insciis liberis, pacto Sponsalibus adjecto conveniunt*; eo quòd illis non debeat aliunde injici matrimonii necessitas, in quam ipsi non consenserunt; sic Gottofredus in *Notis ad L. 11. ff. de spons. & L. 2. ff. de Ritu nupt.* ergo non reprobatur pactum pœnæ persolvendæ ab injustè resiliente, *si ipsi liberi in eam consenserunt*; ut, si vel ipsi; vel eorum parentes, ipsis consen-

tientibus, de illa pactum iniverint. Hinc Leo Imperator, cum advertisset, per jacturam arrharum, non satis esse cautum (*ne Sponsalia sursum, deorsum ferantur*; hoc est, sine juxta causa solvantur) & nuptialibus contractibus magis conducibile fore, si consuetudinem solvendi pœnam ex pacto Sponsalibus adjecto *in casu injustè resiliencie*; in legis autoritate collocaret, lege novissimâ (quæ non est derogatoria, sed solum consuetudinis in vim legis elevativa) illam in vim legis haberi, & observari voluit, ut videri potest apud Castrop. cit. n. 3. ex *Novell. 18.*

Ipsam etiam *cap. Gemma*, contrariæ sententiæ non faver. Textus illius sic habet: *Gemma* mulier nobis exposuit, quòd cum I. filia ejus cum C. contraxit matrimonium, B. de Alferio ea occasione, quòd inter P. filium suum, & prædictam puellam intra septennium constitutos Sponsalia contracta fuerunt, pœnam solvendam à parte, quæ contraveniret in stipulatione appositam, ab ipsa nititur extorquere. *Cum itaq; libera matrimonia esse debeant*, & ideo talis stipulatio propter pœnæ interpositionem sit meritò improbanda: mandamus, quatenus, si est ita, eundem B. ut ab extorsione prædictæ pœnæ desistat, Ecclesiasticâ censurâ compellas. Si enim iste textus rectè attendatur, sequitur, nihil favoris accedere opinioni contrariæ; 1. quia ibidem agit de pœna non persolvenda in casu *justè resiliencie*. 2. quia ibi casus propositus agit de resiliencia mulieris, nec dum septennis, à Parentibus alteri desponsatæ, cum pacto pœnæ persolvendæ; certum autem est, quòd illa, ubi pervenit ad legitimam ætatem, justè resiliire potuerit. 3. casus ibid. est de resiliente, qui nunquam in pœnam à parentibus pactam consensit; igitur habet eandem solutionem, quam dedimus pro *L. Titia*, n. *preced.* Nec obstat, quòd ratio, quâ in dicto *e.* movebatur Pontifex ad reprobendam in dicto casu stipulationem pœnæ, videatur universalis non tantùm pro resilientibus justè, sed etiam injustè; cum non minus horum, quàm illorum libertas metu pœnæ impediatur; ex quo aliqui arguunt, ergo pro omni casu resiliencie, etiam justæ, stipulatio pœnæ, in *c. Gemma*, consequenter (saltem de jure canonico) reprobatur.

Sed

156. Sed Resp. Pontificem omnino repro-  
bare stipulationem poenæ titulo *libertatis*  
*in matrimoniiis requisita*; quando ex pacto,  
jure naturali nullo, exigitur ejus solutio,  
ut in casu justæ resilienciæ, quia sic exige-  
retur poena, ubi non est culpa. 2. quando  
contrahentibus *sine suo consensu, & aliunde*,  
imponitur necessitas solvendi poenam  
in casu resilienciæ; hæc enim necessitas  
(licet prima) tanquam libertati matri-  
monii adversa, merito reprobanda est.  
3. quando talis stipulatio excludit liberta-  
tem contrahendi, vel non contrahendi  
simpliciter, ut sit coactione absolutâ; vel,  
secundum aliquos, quando eam restringit  
per coactionem conditionalem, de qua  
dicemus infra; aut cum imponit neces-  
sitatem *aliunde*, ut præmissum est: non  
autem, quando excludit libertatem *solum*  
*moralem, seu civilem, & juridicam*, in eo  
sitam, quod quis etiam careat obligatione  
contrahendi, vel non contrahendi. At ejus-  
modi stipulatio non excludit libertatem  
primam, ut ostensum est; & secunda li-  
bertas in matrimonio, nec de jure positi-  
vo, exigitur; Ergo.

157. Sic, qui vi Sponsalium, aut titulo in-  
jurie mulieri illata tenetur eam ducere,  
etiam stante tali obligatione conscien-  
tiæ, habet omnem libertatem ad matri-  
monium valde contrahendum, etiam jure  
positivo requisitam, licet tunc morali li-  
bertate careat. Et ratio est. 1. quia metus  
poenæ, in tali casu persolvendæ ab eo,  
qui fidem Sponsalium injuste violat, solum  
compellit ad præstandum hoc, quod jure  
naturali debitum est, nimirum ad servan-  
dam fidem alteri datam. Metus autem  
justus, seu justè incussus (qualiter fit, cum  
quis, metu poenæ impositæ transgredien-  
tibus legem naturæ, præstat, quod debet)  
non obest libertati matrimonii, ut dice-  
mus infra; ergo. Et ideo hanc sententiam  
probabilem censet Pirhing, *cit. n. 23. §. ex-  
tenditur. 2.* & apud eum, Layman. *l. 5.  
tr. 10. p. 1. c. 1. n. 8.* Et à fortiori (saltem in  
foro poli) licitum est pactum poenæ im-  
proprie dictæ, quæ consistit in lucro amit-  
tendo, seu non acquirendo à contrahen-  
tibus appositum. Nam in foro fori offe-  
rens lucrum, præsumitur intuitu libidinis  
ad matrimonium invitare alterum, ut

not. Pirhing, *cit. n. 24.* quæ præsumptio  
in foro poli cedit veritati. Hinc licitum  
erit tale pactum, etiam in foro fori, si lu-  
crum offeratur, non ab ipso contrahente,  
sed alio. Nam in hoc casu cessat præ-  
sumptio turpitudinis, consequenter non  
habet locum dispositio reprobans tale  
pactum.

Similiter dicendum, valere quoque 158.  
pactum Sponsalibus adjectum, de solven-  
da tali poena, si *Vir*, vel *mulier solverit ma-  
trimonium, per ingressum religionis, tem-  
pore, quo potest*; vel, si *petiverit divor-  
tium*; vel, *ne Vir habeat Concubinam*. Hanc  
tertiam partem tenet Sanchez *cit. n. 6.*  
quia est in favorem matrimonii; *primam*  
verò, & *secundam*, negat *n. 5.* quia illa  
pacta minuunt matrimonii libertatem,  
præsertim cum *L. Titia, ff. de Verbor. oblig.*  
dicatur: *in honestum visum est, vinculo poe-  
næ matrimonia adstringi, sive futura, sive  
etiam contracta.* Verum libertatem re-  
quisitam eo pacto non tolli ex dictis const.  
& *L. Titia*, procedit de casu poenæ sol-  
vendæ, quando causa resiliendi est justa,  
vel pacta sine consensu eorum, quorum  
est, contrahere, *ex n. 112.*

Dices: contra *n. 156.* pactum solven- 159.  
di poenam, si alteruter ingrediatur reli-  
gionem, est de solvenda poena ob reces-  
sum à Sponsalibus ex causa justa, & tamen  
non valet, cum excludat bonum religio-  
nis; ergo etiam non valebit tale pactum,  
ubi resilienciæ causa est justa. Resp. ibi  
nos loqui de poena, *improprie dicta*, quæ  
non tam est poena, quam jactura lucri,  
quod non servans datam fidem, etsi justè  
recedere potuisset, non requirit; ergo  
nihil probat contra *n. 152.* ubi sermo est  
de poena proprie dicta. Cæterum tale  
pactum excludit bonum Religionis solum  
ex suppositione, quod lucrum habere  
nolit; non autem absolute, ac determi-  
natè. Deinde in pacto non agitur de con-  
trahendo matrimonio, sed solum de usu  
juris divertendi, si eveniret casus, quod  
conjugi innocenti nasceretur ex alterius  
delicto. Hunc autem casum sibi inter-  
dicere non prohibetur innocens;  
ergo non est, unde irritum sit  
tale pactum.

S. 5.

*An in contractu Sponsalium intervenire possint arrhæ, quasi loco pignoris traditæ?*

160. Quæstio procedit, quando traduntur expressè in securitatem secutori matrimonii sic, ut eas amittat tradens, si culpâ suâ non sequatur matrimonium; eo autem secuto redeant ad tradentem. Resp. posse; ita Sanchez l. 1. hic D. 36. à n. 2. const. ex L. fin. C. de spons. cujus ratio est, quia nullo jure prohibetur, etiam in hoc contractu, securitatem alteri constituere, seu pignus, futuræ solutionis, seu impletionis promissi sui, ut solutione non secutâ, pignora committantur; & eâ secutâ, recipiantur, & positivè probari constat ex L. 2. C. de spons. ibi: *arrhas, Sponsaliorum nomine datas, defuncto dante, jubemus restitui, nisi causam, ut nuptiæ non celebrarentur, persona defuncta jam præbuit.* & L. 5. C. eod.

161. Si autem quæras. 1. an arrhæ constitui possint in quavis quantitate, etiam dotem excedente? 2. an in fundo & paratâ pecuniâ? 3. an contrahentes possint pacisci, ut contra datam fidem injustè resiliens, teneatur ultra duplum jure constitutum? 4. cui acquirantur arrhæ, si tradens præmoriatur matrimonii celebrationi? 5. an tradens arrhas, factis nuptiis eas recipiat? 6. cui cedant, si Sponsalia solvantur? Ad 1. Resp. posse; quia quamvis in cit. L. 5. dicatur, quod in casu arrhæ restituendæ imponi non possit obligatio reddendi aliquid ultra quadruplum, adeoque limitetur restitutionis quantitas; nulla tamen quantitas ibi præscripta est arrhæ constitutioni. Ad 2. ex eadem causa. Resp. affirmativè; hinc si fundus in duplum restituendus foret, sufficit eum restitui in re, & simul tantum, quantum est in æstimatione. Ad 3. Resp. non posse, si is, qui restituere deberet, sit minorennis, & re, & privilegio; nimirum carens veniâ ætatis, ut expressè cautum est in cit. L. 5. ubi habetur, quod talis satisfaciatur, reddendo simplum, nimirum reddendo id, quod accepit; si autem sit majorennis re, vel veniâ ætatis, secus dicendum est, nimirum posse, ut habetur in cit. L. 5. Ad 4. Resp. arrham in eo casu restituendam iis,

ad quos jure testamenti, vel successiõnis legitimæ transeunt bona defunctæ vel defuncti, nisi aliter constituerit, vel in culpa fuerit, ne matrimonium prius celebratum sit. ex L. 2. cit. n. 160. Ad 5. Resp. affirmativè. Nam tunc cessat ratio, propter quam traditæ sunt, nimirum in securitatem futuri matrimonii; Layman. tamen l. 5. tr. 10. p. 1. c. 1. n. 8. docet, ex consuetudine, inter Sponsalicias largitates tunc reputari, de quibus agemus infra.

Ad 6. Resp. quando Sponsalia solvuntur ex justa causa, non amitti arrhas, ab eo, qui tradidit; si ex injusta causa, seu unius inconstantia, & unus tantum tradidit arrhas, quin vicissim receperit, eas perdit, si ipse injustè resiliat: si uterque arrhas tradidit, & recepit, injustè resiliens, & suas perdit, & acceptas restituere tenetur: si denique tantum unus tradidit, & alter non tradens injustè resiliat, tenetur in duplum, & acceptas reddere, & tantundem de suo patrimonio dare; imò plus, si conventum sit, nimirum triplum, vel quadruplum (nisi resiliens sit minor) ex L. penult. de spons.

Et ideo etiam Fidejussores, & pignora in securitatem futuri matrimonii, vel etiam arrharum, aut damni emergentis, sponsalibus apponi possunt, ita Sanchez. l. 1. D. 38. quia nullibi cautum est, ne in dato casu apponantur: imo cum arrhæ in eum finem licitæ sint; non est, unde pro his, vel pro eo, in quorum securitatem ipsæ apponuntur, Fidejussores, & pignora constitui prohibeantur: postremo ex dictis colliges ad valorem Sponsalium, aut matrimonii, non requiri libertatem, immunem à metu perendi arrhas, aut solvendi duplum, vel etiam quadruplum in casu injustæ resilienciæ. Nam etiam stante pacto, vel per ipsos contrahentes, vel per eorum, conjunctos, cum ipsorum consensu, Sponsalibus adjecto, matrimonium nihilominus validè contrahitur, ut constat ex dictis; quia talis merus non tollit libertatem illis contractibus necessariam, cum obligatio solvendi pœnam ex pacto debitam, solum inducat necessitatem implendi debitum juris naturalis.

Arti-

## ARTICULUS V.

## De effectu Sponsalium.

Effectus aliquos Sponsalia cum aliis contractibus habent communes, dictos propterea *generales*; alios autem sibi proprios, seu *speciales*: inter illos numeratur obligatio naturalis, & civilis præstandi cum effectu, quod promissum est; inter istos, impedimentum publicæ honestatis, &c.

## §. I.

## An, &amp; qualem obligationem pariant Sponsalia de futuro?

164. Obligatio in genere appellatur à Salas D. 3. de legibus, §. 2. n. 90. *vinculum, quo adstringimur aliquid facere, vel omittre, ita, ut si illud non faciamus, aut non omittamus, peccemus*, nimirum vel *Theologicè* (seu contra conscientiam) vel *Ethicè*, contra decentiam, & honestatem; vel *civili-ter*, nimirum contra iustitiam legalem, juris civilis dispositione debitam, & observantiam iustitiæ legali. Cæterum si obligatio consideretur per ordinem ad rem, ad quam quis obligatur, triplex est: prima est *naturalis tantum*, quæ ortum habet à jure naturali; quæ duplex est, una obstringens in foro conscientiæ; altera, ex solo honestatis debito. 2. *civilis tantum*, cum quis civili jure tantum est adstrictus, non naturali: 3. est ex utraque mixta, cum jure naturali, & civili tenetur quis aliquid agere, vel omittre. Si autem consideretur obligatio, quantum est ad vinculum caufarum, duplex, nempe *civilis*, quæ aut legibus constituta est, aut certo jure civili comprobata; & *Prætoria*, seu Honoraria, quam Prætor ex sua jurisdictione constituit. Sic Pereyra in *Elucidario Theol. moral. & utriusq. juris L. 1. Elucidat. g. n. 207.* his præmissis.

165. Resp. I. quod Sponsalia de futuro, legitime contracta omnino pariant obligationem naturalem; ita communis. Nam jure naturali obligamur, servare fidem alteri legitime datam, & acceptatam. Alias iniquæ forent leges, quæ prohibent repetitionem debitorum, etiam ex nudo pacto solutorum: certum autem est, quod jura justè statuunt, & repeti non posse, ut constat ex *L. 21. C. de Pactis*, ibi; ex-

ceptione te tueri potes, si possides, nimirum contra illum, qui, quæ possides, contra conventionem vult repetere; ergo cum Sponsalia de futuro habeant rationem pacti legitimi, & vestiti (sunt enim contractus nominatus) à fortiori parient obligationem naturalem, seu vinculum conscientiæ, obstringens sub peccato.

Resp. 2. quod etiam pariant obligationem civilem. Nam *Civilis* obligatio rectè arguitur, quando contra violentem, aut renuentem implere obligationem, jure constitutam, vel comprobata, alteri conceditur *actio*, nimirum jus persequendi, hoc est, legitima facultas, seu autoritas permittens, persequi in iudicio id, quod sibi debetur. At Sponsalibus de futuro, legitime contractis, jure civili, & canonico, conceditur actio, 1. quia sunt contractus nominatus, qui jure civili actionem parit. 2. quia habent positivam juris canonici assistentiam, ut constat ex c. 46. 47. & 50. caus. 27. q. 2. & c. 10. ac 17. de Sponsal. ergo. Hinc, quæ jure Codicis, & Digestorum constituta, vel præmissa sunt, sponsis liberum sit, à Sponsalibus resiliere, & alteri nubere, jure canonico abrogata sunt, cum foveant gravem injuriam alterius, à resiliente deserti.

Quæstio autem est. I. an naturalis obligatio Sponsalium sit gravis, & ex qua virtute? Triplex est sententia; prima docet, nullam promissionem simplicem, comparatione horum obligare sub mortali, quantumvis acceptatam; sic Cajetanus 1. 2. q. 123. a. 1. Nam ex tali promissione solum oritur obligatio fidelitatis, & veracitatis, quæ virtutes solum obligant sub veniali, ut facta dictis, & promissis conformentur, ne hominem, cui fidem dedisti, decipias. Sic ille cum Soto, Armillà, García, & Henriquez: Secunda vult, ex simplici promissione materiæ gravis, & acceptata, nasci gravem obligationem; ita Sanchez. l. 1. D. 5. n. 13. Tertia demum hanc etiam tenet, sed cum hac limitatione: si promittens promissionem præstet *secundum ejus naturam*; non autem si promissionem restringat, & intendat solum ex honestate, & fidelitate obligari; his promissis.

Resp. postremam ex his sententiam 168. videri probabilior, quoad obligationem gravem. Nam ex triplici capite deprehendi potest mens legis, graviter obligantis;

gantis; 1. *ex materia*, in qua versatur; nempe si gravis sit. 2. *ex modo*, ut, si imponatur gravis poena legem violanti. 3. *ex verbis*, quibus lex profertur, ut notat Azor. p. 1. *Instit. Moral. l. 5. c. 6. q. 5.* at obligatio Sponsalium est circa materiam gravem, & injuste renuens eam præstare, etiam per censuras cogi ad hoc potest, ut constabit ex dicendis. Deinde ex acceptata promissione rei gravis promissarius acquirit jus exigendi promissum, ut dicitur c. 1. & c. *Qualiter, de Pactis*. In tota enim illius capituli lectione, is, cui pactum servatum non est, dicitur *injuriam passus*; ergo, cum graviter peccet, qui alteri negat rem gravem, jure debitam (nisi promittens expressè restrinxerit mentem suam ad animum, se tantum leviter obligandi) obligatio præstandi tale debitum, erit gravis: juxta communem autem Doctorum sensum, promissio futuri matrimonii, est promissio rei gravis; Ergo.

169. Resp. 2. eandem etiam videri probabilior, quoad vim obligandi *ex justitia*. Constat. 1. ex cit. juribus in priori num. Nam obligatio, cujus transgressio est *lesio juris alieni*, & *injuria*, est obligatio justitiæ, non autem unice alterius virtutis; at, qui fidem seu obligationem Sponsalium violat, lædit jus alienum, & alteri facit injuriam, ut dictum est; ergo. Denique promissio acceptata est pactum, seu duorum, aut plurium consensus in idem, L. 1. ff. *de Pact.* Pactum autem de re gravi (seclusa paciscentium restrictione, ut dictum est) qualis est materia Sponsalium, graviter obligat; cum tale pactum non servans possit excommunicari, ut const. ex c. 1. *de Pactis*. ibi: *aut invita pacta suam obtineant firmitatem, aut conventus, si se non cobibuerit, Ecclesiasticam sentiat disciplinam*. Ratio ulterior est, quia, quando cunque quis in foro externo jure compellitur adimplere promissum, tenetur ex lege justitiæ sub mortali implere in foro interno, ut colligitur ex c. *cum esse, de Testam.* (idem autem in utroque foro servandum, ubi forum externum non innicitur falsæ præsumptioni, nec in poenam, quæ Judicis sententiam desiderat) at promittens Sponsalia, in foro externo cogitur stare promissis, ut dictum est; Ergo.

170. Resp. 3. eandem probabilior videri, quoad illius sententiæ limitationem, ut Sponsalia non obligent graviter, sed solum vel honestate, vel fidelitate, si promittens intentionem sic expressè restringat. Quia actus agentium non operantur ultra eorum intentionem ex L. *non omnis, de Rebus credit.* quod rectè procedit in obligationibus merè voluntariis, ergo si promittens nolit se obligare ad constituendum promissario jus exigendi promissum, sed tantum ex fidelitate, sic & non aliter obligabitur. Hinc in foro conscientiæ standum est declarationi promittentis; in foro autem externo, si nullam restrictionem fecit, censendum est promississe, juxta naturam promissionis, quæ ex se jus justitiæ promissario concedit; ita Sanchez l. 1. D. 5. n. 22. ad ea porro, quæ in contrarium assert Pontius, à nobis supra relat, ibid. responsum est.

171. Quæstio est 2. quando Sponsi teneantur exequi obligationem Sponsalium? Resp. si præfixus sit terminus executioni, cum is advenerit, eos, & quemlibet eorum, obligari ad executionem, nisi aliter justè statuatur; vel lege, vel Sponsorum mutuo, & legitimo consensu, factâ temporis prorogatione: si autem nullus terminus appositus sit, probabilius est, quemlibet eorum, si rationabiliter possit, tunc ad executionem teneri, cum alter exegerit: ita P. Sanchez. l. 1. *hic D. 28. n. 1.* Nam ubi solutioni certa dies præfixa non est, *dies non venit*, hoc est, debitor ad solutionem non tenetur, nisi, cum creditor illa interpellat, ut dicitur L. *Debitores presentes. 10. C. de Pignoriis*. Basilius Pontius l. 12. *de spons. c. 6. n. 1.* ait: quod P. Sanchez cit. hanc doctrinam immeritò, ac perperam colligat ex cit. L. *Debitores*, eò, quod ibi prius denuntiatio non exigatur, quasi debitor prius solvere non teneretur, nisi à creditore interpellatus; sed tantum, quod Creditor pignus acceptum distrahere non possit, nisi Debitori denuntiet, vel solutionem faciendam, vel futuram pignoris distractionem. Verùm doctrina in principio legis tradita (*quod Debitores presentes prius denuntiationibus conveniendi sint*) universalis est; licet deinde ex universali descendat ad casum particularem, pro resolvenda quæstione debiti ex pignore, & tanquam universalis regula applicetur, dica-

dicaturque, cum pignus distrahi non debeat, nisi debitore, vel nolente, vel non potente debitum solvere, distrahi non debere sine denuntiationibus debitori factis; ergo nec immerito, nec perperam, P. Sanchez cit. doctrinam suam colligit ex L. *debitores*. Hinc quando dicitur L. *in omnibus ff. de Reg. Jur. in omnibus obligationibus, in quibus dies non apponitur, presenti die debetur*; & L. *cum, qui. 41. §. Quoties ff. de V. O. Quoties in obligationibus dies non ponitur, presenti die pecunia debetur*; intelligitur, quando vel Creditor interpellat; vel iustus metus, vel verberantia illum ab interpellando removet. Deinde, cum dicitur, *presenti die debetur*, intelligi debet, quod posito semel contractu dies statim cedat, seu obligatio statim incipiat; licet dies non statim, sed primum tunc veniat, ubi Creditor interpellat.

172. Contrarium tenet P. Castropalaus D. 1. de Sponsal. p. 2. & alii cum Pontio cit. volentes non apposito executioni præstandæ certo termino, ut primum opportunè fieri potest, nuptias ex obligatione Sponsalium, cum absoluta & pura sunt, celebrandas esse. Ratio horum, præter allatas leges, fundatur in paritate desumpta à voto, statim ad executionem obligante, si non sit emissum in certum diem. Verùm sicuti votum non præfixo executionis termino emissum, sic Sponsalia statim exequenda forent, etiam. 1. die post emissum votum, & contracta Sponsalia, quod dici non potest. Deinde inter promissionem factam DEO, & factam homini, multæ sunt differentiæ, etiam quoad vim obligandi; illa, non obligat ex iustitia; secus ista: in illa dies non tantum statim cedit, sed etiam venit; secus in ista: Sponsalia enim (seu promissio matrimonii futuri) sunt more humanorum contractuum, in quibus regulariter non eo ipso statim dies venit, quod dies cedat, nisi Creditor petat, ut patet in mutuo, & aliis contractibus; ergo quoad hoc paritas ad obligationem voti, non præfixo executionis termino emissi, ad obligationem Sponsalium, non præfixo executionis termino contractorum, est illatio à diverso ad diversum, quod non valet.

Tom. IV.

Quid agendum cum recusante implere Sponsalia legitime contracta?

Non est dubium, iniuste renuentem 173. implere Sponsalia, in utroque foro licite compelli posse ad ea implenda. In foro quidem conscientie tanquam indisposito negando sacramenta; quia inique violat naturale debitum ex Sponsalibus contractum; in foro autem externo, & judiciali, primum commonendo, ut faciat, quod debet; si monitus adhuc renuat, & sperari possit fructus, compellendo per censuras, ut dicitur in c. *Ex litteris 10. de Sponsal.* Nam, cum quidam G. filiam alterius, consentiente Patre, semel & iterum jurasset, ducere in Uxorem; & postea volens transire ad alia vota, Episcopus eum compellere vellet, ut, quod juraverat, impleret; ille ad Papam appellavit; quo posito, Pontifex Episcopo sic rescripsit: quia igitur prædicto G. periculosum est contra suum juramentum venire: fiat, t. mandamus, quatenus, si hoc constiterit, eum moneas; & si non acquieverit monitis Eccles. censurâ compellas, ut ipsam (nisi rationabilis causa obstiterit) in Uxorem recipiat, & maritali affectione pertractet.

Nec obstat c. *Requisivit. 17. eod.* ubi dicitur: *mulier, que juravit nubere alicui, si postea non vult, monenda potius, quam cogenda, quia matrimonia debent esse libera; & contracta sepe habent exitus difficiles.* Nam hoc intelligi potest, ut loco potius, intelligatur idem, ac prius (prout volunt aliqui apud Barbof. in cit. c. *Ex litteris n. 3.* & not. gloss. *ibidem V. compellat*, in fine) & sic capitulum *Requisivit* nihil contrarium statuit capitulo *Ex litteris*: alii capitulum *Requisivit*, quoad ea verba (*monenda potius, quam cogenda*) rectè exponunt, si in datis circumstantiis prudenter arbitretur Judex, ex talibus invitis nuptiis gravia mala, & scandala timeri; nec in alio sensu compulsionem præcipi in c. *Ex litteris*, nisi secluso eo periculo. Hinc quando dicitur: *non cogenda* (quia matrimonia debent esse libera) intelligitur, quod debeant esse libera ab omni extrinseca necessitate, de qua diximus aliquid n. 156. & dicemus infra; non autem, a necessitate intrinseca, nimirum oriunda ex jure naturali, supposito libero contrahentium consensu,

G

fensu,

sensu, inductâ. Hanc enim libertatem non exigunt matrimonia; si autem dicas requiri, quod ad matrimonium contrahendum non adstringantur etiam ex naturali obligatione per eos liberè inductâ, evacuabis omnem nervum matrimonii; sic Barbof. cit. in *c. Requisivit. n. 3.* Unde non est contra matrimonii libertatem, quod Ecclesia homines jure compellat, post Sponsalia præsertim jurata; nam *ly monenda potius, quàm cogenda*, sic intelligitur, ut sit *non cogenda de misericordia*, ne deterius contingat; non autem *non cogenda de jure*. Quia de jure potest Ecclesia nolentes observare gravem obligationem conscientie, omnino censuris, aliisque penis Ecclesiasticis compellere. Ex quo patet, in dictis capitulis *compulsionem per censuras*, non esse decretam solum propter vinculum juramenti; sed etiam *Sponsalium*, secundum se; cum & horum violatio gravis sit, ut rectè not. Sanchez *l. 1. D. 29. n. 4.* Judex enim ex officio compellere debet ad reddendum cuique suum. Talis enim compulsio fundatur in injuria admisa, quæ committitur, esto Sponsalia non sint jurata.

175. Dices: in *c. Ex litteris 10.* (ubi dicitur, *cogenda*) specialiter ponderatur *juramentum*; ergo in hoc fundatur jus compellendi; ergo eo secluso non est *cogenda*: antecedens patet ex textu, ibi: quia igitur prædicto G. periculosum est, *contra suum juramentum venire &c.* mandamus, ut si non acquieverit monitis, censurâ Ecclesiasticâ compelles. Resp. in eo casu considerari juramentum, *quoad facti contingentiam*; non *quoad fundamentum*, ex quo unice liceat Judici procedere ad eam compulsionem. Concedo tamen, quod in casu appositi juramenti renitens, studiosius compelli possit à Judice, propter duplex vinculum, *justitiæ*, & *Religionis*.

176. Dices: 2. metus excommunicationis cadit in constantem Virum; ergo etiam injustè renitens implere Sponsalia, per eam cogi non debet, ne matrimonium invalidè contrahat; Resp. per metum, qui cadit in constantem Virum, *si justè* incutiatur, non vitiari matrimonium, ut dicemus infra: aliàs metus inferni, quo quis inductus ad servandam conscientie obligationem, Sponsalibus inductam, matri-

monium contrahit, à fortiori vitiare actum.

177. Ut autem hæc compulsio Ecclesiastica fructuosè fiat pro salute animarum, nota, prædictam compulsionem *per censuras*, fieri debere moderatè; ne in pericula plurimorum malorum, pertinaciter inviti, præsertim sine spe fructus, conjiçantur; imò, si Judex videat, se nihil profecturum per censuras, potius abstineat, & aliâ viâ parti læsæ satisfacere compellat; ita communis cum Sanchez *D. 29. n. 7.* Et ideo compulsio præfata intelligi solum debet in casu injustæ resiliencie. Nam ubi est rationabilis causa non servandi promissa Sponsalia, nullatenus resiliens compellendus est, ut dicitur in *c. Ex litteris*. Causæ tamen cognitio, *an rationabilis sit?* fieri debet judicialiter, ut docet Basil. Pont. *l. 12. de matrim. c. 6. n. 5.* Hinc, si Judex latâ in resilientem censurâ, videret, eum adhuc pertinacem, & illam nihil prodesse, potius absolvendum; permittendo minus malum (ut scilicet à Sponsalibus recedat, parti læsæ pro injuria satisfactione præstitâ) quàm matrimonium contrahat morali periculo tristissimi exitus plerumq; subsequenter, etiam alteri. Sic enim etiam actori favorem præstat, tantis cæteroquin malis involvendo. Ex his facile conciliantur oppositi in speciem textus: *si enim dicas: commonendum potius, vel prius, quàm cogendum*, ut vult *c. Requisivit*. Sic faciendum in casu, quo ex coactione prævidentur secutura graviora mala, quàm si à Sponsalibus injustè resiliat contra datam fidem: si autem secius, esse omnibus modis inducendum, ut loquitur *c. 2. de spons. & etiam per censuras cogendum*, ut dicitur *c. 10. cod.*

178. Neque dictis obstat, quod in obligatione facti nemo compelli debeat, sed per soluto interesse liberetur, ut dicitur *L. stipulationes, 27. §. Celsus, d. V. O.* Nam hoc locum habet in his, quæ recipiunt æstimationem, idque ex tacita contrahentium voluntate, ut si non præstiterit factum, præstet æstimationem: Matrimonium autem & Sponsalia non recipiunt æstimationem, ut docet Panormit. in *c. Ex litteris n. 5.* Nam spirituale, vel huic annexum, temporalibus compensari non potest; & ideo non licet villam (titulo annexi juris Patronatus) carius vendere; nec

nec calicem ob annexam consecrationem.

179. Cum autem fieri possit, quod aliquis, *tanquam iniuste resiliens*, apud Iudicem denuntietur, & moveatur quæstio, quis in eo casu sit Iudex competens? dicendum est, si pro causa resiliendi allegatur *actus invaliditas*, & moveatur quæstio *de valore Sponsalium*? cognitionem causæ pertinet ad solum Iudicem Ecclesiasticum. Nam causæ matrimoniales, in quæstione valore concernente, sunt juris Ecclesiastici, ut dicemus infra; si autem dubitetur, an causa resiliendi sit, an non sit sufficiens ad licitè divertendum? causæ cognitio pariter spectat ad Iudicem Ecclesiasticum, cum agatur de vinculo annexo causæ spirituali, & peccato vitando in materia spirituali: si deniq; agatur de solo facto, vel executione obligationis, procedere potest Iudex tam Ecclesiasticus, quam laicus, seu secularis; sicut cogit ad aliorum contractuum fidem non violandam; ita Sanchez *cit. n. 9.*

180. Advertendum autem, causam matrimonii nunquam transire in rem iudicatam, per c. *lator. 7. de sentent. & re iudicat.* ubi quæstione mota contra matrimonium; ambò minus rationabiliter fuerant separati; quæ separatiõis sententiã non obstantè, Alexander III. rescripsit: nolentes matrimonia canonicè contracta levitate quãdam dissolvi, mandamus, quatenus, si vobis confiterit eos *per iudicium Ecclesiæ non fuisse legitime separatos, Ecclesiã, deceptam, ipsos faciatis, sicut Virum & Uxorem insimul permanere.* Ubi nota verba: *Ecclesiã deceptam*, quibus insinuat, in ferenda sententiã *super quæstione facti*, quod falsã suggestione affirmatur, aut negatur, *Ecclesiã falli posse.*

181. Idem colligitur ex c. *Tenor. 10. eod.* ubi Clemens III. contra sententiã Episcopi Teutini, cui causã matrimonii, quæ vertebatur inter R. & M. mulierem, commissã fuerat, quã R. ab impetitione mulieris absentis absolutus fuerat, itã statuit: quia igitur mulier suos testes offert ad probandum, quod idem R. eã delponsationis annulo publicè subarrasset, & tu, quid super his agere debeas, postulas edoceri: ideo inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod (non obstantè illicitã absolutiõne, quam Episcopus fecit) in  
Tom. IV.

causa procedas, eidem R. sub pœna excommunicationis arctius interdicens, ne ad eã, quam superinduxit, accedat prius, quam fuerit causã decisa. Erratio est, quia voluntas partium non potest præjudicare vinculo sacramenti *c. fin. de transact.*

182. Quia tamen quandoque contra sententiam latam in causa matrimonii, contra sententiam talem agitur, quod lata sit ad solam unius conjugum confessionem, asserentis contrarium, dubitatur, an ejusmodi sententiã revocari possit, aut debeat? Respondetur autem negativè, non esse revocandam; sed est standum, donec legitime de illa doceatur, prout rescripsit Clemens III. in c. *Consanguinei. II. de sent. & re iudicata*: Consanguinei Latricis presentium, sicut tuis literis intimasti, compaternitatem inter ipsam, & virum suum, legitime probaverunt, ita quod inter eos sententiã divortii protulisti: prædicta vero E. cum sit tibi postmodum confessã, quod ejus commater in veritate ante sententiam non fuisset, sed post separationem compaternitatem cum eo contraxit, & tandem ad secundas nuptias convolvit: fraternitati tuæ respondemus, quod *propter solam confessionem mulieris* non est recedendum à sententiã per iudicium Ecclesiæ rationabiliter promulgatã, nisi legitime in contrarium probaretur.

Ex præmissis sequitur, licet sententiã 183. lata in causa matrimonii nunquam eat in rem iudicatam, sententiã tamen latam contra Sponsalia de futuro, transire in rem iudicatam, nec posse retractari; quia, sicut ex consensu partium *expresso* possunt dissolvi Sponsalia, per c. 2. h. t. sic etiam possunt *ex tacito*, quando scilicet causam Sponsalium in iudicio agunt L. 3. ff. *de rebus creditis*. Tunc enim consensus tacitus præsumitur. c. *quoniam, de Re iudicat.* & L. *Ab eo, C. Quomodo, & quando.* Sic González ad c. 2. *de Sponsal. n. 7.*

§. 3.

*Quale jus in Sponsis nascatur ex Sponsalibus legitime contractis?*

184. Ex dictis constat, quod Sponsalia de futuro, legitime contracta, in Sponsis producant primò jus iustitiæ, vi cuius alter alteri obligatus sit ad futurum matrimonium debito tempore contrahendum, obli-

obligatione non tantum naturali, sed etiam civili, nisi expressè sit limitata ad obligationem ex sola fidelitate. 2. datam obligationem esse sub peccato gravi, nisi aliter obligare se se intenderint contra-hentes: potissima nunc quaestio est, an producant tale jus iustitiæ in illis, vi cuius Sponsorum concubitus cum alio, sit adulterium? Resp. negativè, quantum est de jure canonico. Nam adulterium est *alieni thori violatio*, & propriè committitur in nuptam, vel conjugatam, ut ponit communis definitio apud Thom. 2. 2. q. 154. a. 8. in corpore, & habetur in cit. c. *lex illa*. 36. q. 1. sed fornicatio cum Sponso alterius non est violatio alieni thori, hoc est, thori alteri jam concessi, (hoc enim fit per nuptias celebratas, & actuale traditionem corporis; non verò per Sponsalia de futuro) neque committitur in nuptam; ergo: de jure tamen civili censent aliqui, talem concubitus esse adulterium; sic sentire videtur Pontius l. 12. de Sponsalibus, c. 6. n. 8. sed & hoc negandum est; quod enim eo jure dicitur, intelligitur solum quoad effectum accusandi ad vindictam; & ratio clara est, ex definitione adulterii, jure etiam civili recepta, quam non recipit concubitus cum aliena Sponsa de futuro.

185. Altera quaestio est, an (licet concubitus Sponsi, vel Sponsæ cum alia, vel alio, non sit adulterium) dicat tamen *circumstantiam* in confessione specialiter explicandam? Triplex est sententia. 1. negat cum Covar. 4. decret. p. 1. c. 1. n. 14. altera affirmat cum Castropalao. D. 1. de spons. p. 7. n. 4. tertia est media, quam tenet Sanchez l. 1. D. 2. n. 6. docens, affirmativam respectu Sponsæ, & fornicantis cum ea: non autem, respectu Sponsi, & fornicantis cum ipso.

186. Hanc sententiam Patris Sanchez vocat *ridiculam* Pontius l. 12. de Sponsalibus c. 6. n. 8. volens, hanc obligationem esse æque in Sponso fornicante, ac in Sponsa: sed si benè perpendisset rationem Patris Sanchez, credo, quòd de tanto Doctore mitius fuisset locutus. *Sponsam obligat* P. Sanchez, quia fornicando cum alio, probabilissimo periculo se exponit, quòd gravidum ventrem afferet Sponso, quinatam inde prolem, putans suam, cogetur alere; quam injuriam, seu damnum, non affert suæ Sponsæ Sponsus fornicans cum alia;

& propter hanc circumstantiam docet Sanchez ejusmodi fornicationem in confessione explicandam, licet non sit adulterium.

Cæterum, mihi probabilior est sententia, quæ titulo sponsalium neutrum obligat, secluso damno, quod eveniret innocenti. Nam fornicando cum alio, nihil agitur *contra fidem in Sponsalibus datam*; ergo talis fornicatio *ex titulo Sponsalium* non contrahit novam malitiam, specialiter explicandam in confessione, loquendo de malitia specie diversa; nam circumstantia solum aggravans, non est sub obligatione confessionis, ut docui in tract. de Sacramento poenitentiae. antec. prob. quia cum tali fornicatione stat traditio corporis de futuro ad conjugalem usum, pro quo fides in Sponsalibus data est. Quare alteri concedendo usum sui corporis de facto, licet non de jure, nihil agitur contra Sponsalia, seu datam fidem, quæ Sponsi promittunt sibi mutuo, *se duros alteri de futuro jus sui corporis, ad usum conjugalem, quoad substantiam*. Unde talis fornicatio non est violatio Sponsalium strictè; sed solum, latè, quatenus innocenti præbet fundamentum à Sponsalibus justè resiliendi. Sed nec est exponenda *ratione damni*, quia casus ponit, nullum evenire innocenti; nec etiam *ratione injuriæ*; quia vi juris, quod Sponsus habet ex solis Sponsalibus; hoc non prohibetur, ut ostensum est; Ergo.

Per hoc autem, quòd leges innocenti concedant jus accusandi Reum hujus delicti ad vindictam, non solum, illum qui matrimonium, sed etiam qui *Spem matrimonii*, hoc est, Sponsalia de futuro violat, intentum non evincitur; quia per fornicationem Sponsalia de futuro non violantur, ut dictum est; de crimine autem accusare licet alterum, licet nullum jus accusantis per illud læsum sit. Et quamvis sit contra iustitiam, *uti re, alteri jure debita usu nocivo*, quando talis usus alterum impedit ab usu ipsi jure debito; Sponso tamen hoc non fit, si Sponsa fornicatur; quia per hoc non impeditur Sponsus, ut de futuro sibi constituarur, seu tradatur jus in corpus Sponsæ ad usum conjugalem, *quoad substantiam*, quæ sola traditio, vi Sponsalium, illi jure debita est, ergo: ne autem Sponsa ex alieno concubitu Sponso

affe-

afferat uterum gravidum, vel hujus periculo proximo se exponat, non prohibet fides sponsalicia de futura corporis traditione; sed iustitia, quæ prohibet, alteri per se damnum afferre. Et ideo in ejusmodi casu solum *injustitia* exponenda foret, si quæ innocenti, ex tali alterius lapsu, eveniret, quin sit obligatio aperiendi *circumstantiam Sponsalium*. Hanc enim injuriam deberet explicare, esto fornicata esset ante Sponsalia, & deinde prolem ex alio conceptam afferret alteri, qui contracto post ejus delictum cum ea matrimonio innocenter putaret suam.

Pro eo, quod quidam ex jure civili afferunt, *rem habere cum alterius Sponsa, esse adulterium*, ex L. *Uxor. 13. C. ad leg. Jul. de adulteriis*, ubi dicitur: *Div. Severus, & Antoninus rescripserunt, etiam in Sponsa hoc idem vindicandum*; quia neque matrimonium qualecunque, neque *spem matrimonii* violare permittunt; ubi aperte de Sponsalibus de futuro sermo est. Nam Sponsalia de presenti, non spes matrimonii, sed *matrimonium* ipsum dicuntur; responderetur, hinc aliud non haberi, quam concedi vindictam sponso, non ratione *adulterii* (cùm in dato casu nullum sit) sed ratione sibi illatae aliqualis injuriæ ex quadam infamia, per Sponsam flagitiosam sui prostitutionem, redundante in sponsum. Unde ibi *fornicatio sponso* dicitur *adulterium*, non in re, ut ostensum est; sed solum quoad effectum juris, concedentis facultatem accusandi Ream, ad vindictam.

189. Basilus Pontius rursus carpit Patrem Sanchez, ac prorsus immeritò illum erroris arguit, dicens: *errat autem turpiter P. Thomas Sanchez*, cùm in dicta lege nomine *sponsa* intelligit *desponsatam per verba de presenti*. Hoc sanè immeritò imponit Pontius tanto Viro. Quando enim nomine *sponsa* intelligit *desponsatam de presenti*, non loquitur de Lege. 13. quam adducit pro prima probatione sententiæ volentis per concubitum sponsæ cum alio, committi adulterium; sed loquitur de secunda probatione ejus sententiæ, desumpta ex lege. 1. quæ Hispanico idioma adducta in terminis loquitur de *desponsata cum altero*; ubi verissimè nomine *sponsa* intelligitur alteri *desponsata de presenti*, nondum cognita, ut evidenter patebit cuili-

bet, legenti P. Sanchez in loco, quem ex illo allegat Pontius, nimirum l. 1. *hic D. 2. n. 3.* ubi respondet ad illas probationes relatas ibid. n. 1.

## §. 4.

Quos juris effectus producant Sponsalia de futuro?

Resp. quòd duos, qui potissimùm considerantur; primus est, quòd in quolibet sponso inducant impedimentum impediens, non autem dirimens matrimonium cum alia, vel alio, non dissolutis legitime sponsalibus prius initis. Nam, stantibus sponsalibus cum Berta, *matrimonium contrahere cum alia*, est contra fidem datam Bertæ consequenter illicitum; ergo Sponsalia de futuro cum una impediunt matrimonium cum alia, nisi prius ritè dissolvantur. Quare licet contra fidem datam primæ sponsæ, contrahens per verba de presenti, *valide* contraheret; *illicite* tamen ageret, & ad injuriam illatam primæ compensandam, etiam à Judice compelli posset. Alter Sponsalium effectus est, quòd producant impedimentum dirimens matrimonium contrahendum à quolibet sponso cum consanguineis alterius, quòd vocari solet *impedimentum publicæ justitiæ*, seu *honestatis*; ex eo sic dictum, quòd regulariter minus decens, ac justum videatur, ut sponso in uxorem habeat sponsæ suæ consanguineam; vel sponsa in maritum consanguineum sui sponsi. Nam, cùm in *contrahendis matrimoniis attendi debeat, non tantum, quòd licet, sed etiam, quòd justum est, seu decet*. L. *semper ff. de Ritu Nupt.* ideo Ecclesia illam propinquitatem ex Sponsalibus descendente, impedimentum matrimonii *valide* contrahendi constituit, & nomine *justitiæ*, seu *honestatis* publicæ insignivit; præsertim, ut caveret mala, quæ non raro nascebantur ex eo, quòd consanguineus sponsi, hujus sponsam, sibi in uxorem præriperet.

Prima igitur quæstio est, quid sit impedimentum publicæ honestatis? Resp. quòd sit *propinquitas*, ex sponsalibus *proveniens*, vim dirimendi matrimonium *trahens ex Ecclesiæ constitutione*. Sic Pyrrhus Corradus in *Praxi dispens. Apostol. l. 7. c. 1. n. 32.* clarius dicitur: *propinquitas personarum*

narum ex sponsalibus orta, vi cuius neuter sponsorum, matrimonium valide potest contrahere cum consanguineis alterius. Hæc propinquitas attenditur penes sponsum cum consanguineis sponsæ; & penes sponsam, cum consanguineis sponsi, non omnibus, sed solum in certo gradu, de quo infra. Vocatur autem hoc impedimentum *propinquitas* sponsi cum consanguineis sponsæ, & è contra, quia per Sponsalia (quæ vel sunt inchoatio matrimonii, vel ipsum matrimonium ratum, sed nondum consummatum) quilibet sponsorum propinquat, seu accedit ad fines sanguinis alterius sponsorum, inchoando quasi cum ejus consanguineis affinitatem, quæ confurgit matrimonio consummato.

192. Quæstio secunda est, an, & quo jure impedimentum publicæ honestatis dirimat matrimonium? ad. 1. Resp. de hac quæstione agi diversis locis hujus tituli, & 1. in c. *Juvenis 3. h. t.* deinde in 7. c. *ad audientiam. 4. eod.* ubi Alexander III. Papiensis Episcopo sic rescribit: ad audientiam nostri Apostolatus pervenit, quod, cum H. Papiensis civis filiam suam cuidam filiorum L. vellet dare Uxorem, juravit, quod si ille habere eam casu aliquo interveniente non posset, alteri filio, quem de alia Uxore genuerat, eandem matrimonio copularet. Contractis autem à filio priore sponsalibus, quidam consanguinitatem inter eos esse juramenti interpositis firmaverunt, ideoque præfatus H. eandem dari alteri filio nititur, ut juravit. Sed quoniam scriptum est, quod *sponsam fratris frater habere non potest*: mandamus, quatenus eum suum implere propositum non permittas; sed, ut poenitentiam agat de illicito juramento, monitione præmissâ, ecclesiasticâ districtione compellas.

Tertiò in c. *sponsam. 8. eod.* ibi: *sponsam alterius* (maximè si est nubili ætati proxima) nullus consanguineorum aliquo modo sibi potest matrimonio copulare, id quod etiam dicitur in c. *unico, eod. in 6.* Quarto in c. *Duo pueri 12. de Desponsat. impuber.* ubi, ut habet summa, ex decreto Clementis III. dicitur, quod *sponsalia contracta cum minore septennio, per cohabitationem post septennium convalescant, & inducant publicæ honestatis justitiam.* His accedit Tridentinum Sess. 24. de Reform.

matr. c. 3. cuius verba referemus infra n. 197.

Ad 2. Resp. quòd hoc impedimentum non sit juris naturalis, aut divini, sed solius juris Ecclesiastici; cum nullo jure naturali, vel divino scripto, aut tradito, sed solâ Ecclesiæ constitutione, probari possit, imò oppositum, salvo jure naturali, vel divino steterit. Hinc sequitur. 1. infidelem, quantum est ex hoc capite, licet ac valde prioris sponsæ de futuro sororem, vel matrem ducere, (nam infideles legibus Ecclesiæ non ligantur) & quidem etiam post susceptum Baptismum, si prima Sponsalia de futuro in infidelitate contraxit, quia ex illis natum non est hoc impedimentum in illo; utpote necdum eo tempore subiecto Ecclesiæ.

Quæstio tertia est, inter quos oriatur hoc impedimentum ex sponsalibus? Resp. quòd nascitur solum inter sponsum, & consanguineos sponsæ; item inter sponsam, & consanguineos sponsi, prout colligitur ex præcitatis capit: unde hoc impedimentum non contrahunt *consanguinei sponsi, cum consanguineis sponsæ, vel è contra.* Nam hoc impedimentum non contrahitur ab ulla persona respectu alterius, nisi una ex illis sit, quâ mediante hoc impedimentum inducitur, arque adeò nisi ex illis una sit sponsus, vel sponsa; si autem consanguinei sponsi cum consanguineis sponsæ comparentur, nullus ex illis est, quo mediante hoc impedimentum inducitur; in sponsum enim inducitur mediante sponsâ, respectu consanguineorum sponsæ; & in sponsam mediante sponso, respectu consanguineorum sponsi; ergo quantumcumq; seclusis sponsis, eorum consanguinei ad invicem comparentur, nunquam erit hoc impedimentum inter eorum consanguineos ad invicem comparatos. Si autem quæras, an, quando diximus hoc impedimentum contrahi à quolibet sponsorum cum consanguineis alterius, sub nomine *consanguineorum* intelligantur etiam *illegitimi*? v. g. spurii? Resp. quòd sic; quia per hoc non fit, quòd non descendant verè ex eodem sanguine. Hinc sicut sub impedimento consanguinitatis, sic etiam in hoc casu sub nomine consanguineorum veniunt etiam illegitimi & spurii; sic Vivianus in Praxi juris Patronatus apud Pyrrhum Corrad.

1. 7. e. 1. Hinc coll. hoc impedimentum à sponſis non contrahi etiam cum affinis alterius sponſi. Nam iura ſolum loquuntur de *conſanguineis* sponſi, & sponſæ, quales non ſunt *affines* eorum, quæ tales; ita Sanchez cit. *D. 68. n. 3.* Ex quo ſequitur, quòd Titius poſſit in Uxorem habere Bertam; & Titii frater Bertæ ſororem. 2. quòd Titius poſſit in Uxorem habere Cajam, & filius Titii Cajæ filiam ex alio Viro ſuſceptam. 3. quòd filia Caji poſſit in maritum habere ſuæ novercæ filium ex alio Viro &c. Nam in dictis caſibus ſoli conſanguinei ſponſorum matrimonium ineunt, inter quos hoc impedimentum non extat.

195. Quæſtio quarta, an hoc impedimentum ſit *perpetuum*? ſeu, quòd idem eſt, an, ſi moriatur illa perſona, quæ mediante hoc impedimentum cum ejus conſanguineis fuit inductum, etiam ipſum hoc impedimentum extinguitur, vel nihilominus adhuc, etiam poſt ejus mortem, remaneat? Reſp. de hoc agi in c. 14. *ſi quis Uxorem* 27. q. 2. ubi Gregorius Papa ait: *ſi quis Uxorem deſponſaverit, vel eam ſubarrhaverit* (quanquam poſtmodum perveniente die mortis ejus nequiverit eam ducere in Uxorem) tamen nulli de conſanguinitate ejus licet accipere eam in Uxorem. Quod ſi inventum fuerit factum, ſeparetur omnino. Sic etiam habetur c. 15. immediate ſequenti ibi: *ſi quis deſponſaverit Uxorem, vel ſubarrhaverit, & ſive præveniente die mortis, ſive irruentibus quibusdam aliis caulis minime eam cognoverit, neq. ejus ſuperſtes frater, neq. ullus de conſanguinitate ejus eandem ſibi tollat in Uxorem ullo unquam tempore.* Et hoc extende ſic, ut præcedat, licet ea Sponſalia de futuro, vel præſenti, contracta ſint per Procuratorem. Sic Vincentius de Juſtis L. 2. de diſpenſat. Matrimon. c. 8. n. 5. quia etiam ſic celebrata ſunt vera Sponſalia, & naturaliter firma.

196. Quæſtio eſt quinta, unde naſcatur impedimentum publicæ honeſtatis? Reſp. ad hanc quæſtionem Bonifacium VIII. ut dicitur c. *unico*, de Sponſalibus, in 6. ſic reſpondiſſe: *Ex Sponſalibus puris, & certis, quavis ratione ſint nulla, dummodò non ſint nulla ex defectu conſenſus, oritur effitax ad impediendum, & dirimendum ſe-*

*quentia Sponſalia, vel matrimonia; non autem ad præcedentia diſſolvendum, impedimentum juſtitie publicæ honeſtatis: & infra: ille verò, qui Sponſalia cum aliqua muliere ſub conditione contraxit, ſi poſtmodum ante conditionis eventum cum alia prioris conſanguinea per verba contraxerit de præſenti, cum ſecunda remanere debet; cum ex Sponſalibus conditionis ante conditionem extantem, ſicuti conſenſum non habentibus, & incertis, nulla publicæ honeſtatis juſtitia oriatur.*

Quia verò jure novo Concilii Tridentini, Seſſ. 24. de Reform. Matrim. c. 3. circa prædictam diſpoſitionem, aliaque jura, propter graves cauſas quædam moderatio illorum appoſita eſt, verba Tridentini ſubjungo, quæ ſic habent: *Juſtitie publicæ honeſtatis impedimentum, ubi Sponſalia quacunque ratione valida non erunt, ſancta Synodus proſus tollit: ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant: quoniam in ulterioribus gradibus jam non poteſt hujusmodi prohibitio absq. diſpendio obſervari.*

Ex dictis ſequitur 1. juſtitiam publicæ honeſtatis non contrahi ex Sponſalibus conditionis, ſub conditione ſuſpenſiva, ante conditionis eventum; ut pat. ex cit. c. *unico* ibi, ex Sponſalibus conditionalibus ante conditionem extantem, nulla publicæ honeſtatis juſtitia oriatur. Et idè Titius, qui Sponſalia ſub conditione celebravit cum Bertæ, validè ducit Bertæ matrem, Sororem, aut filiam, ante conditionis eventum. Neque in hoc aliquid mutavit Tridentinum.

Sequitur 2. juſtitiam publicæ honeſtatis non contrahi ex Sponſalibus incertis; ut, ſi quis promiſit Patri unam duarum filiarum ſe ducturum. 1. ex cit. c. *unico* ibi, ex Sponſalibus certis. item §. *ille P.* ibi: *cum ex Sponſalibus incertis.* 2. quia talis promiſſio, licet acceptata à puellis, ad ſummum conſtituit Sponſalia ſolum conditionata, cum qualibet determinatè, ex ſuppoſitione, quòd non ducat alteram; ſed Sponſalia conditionata, quæ talia, hoc impedimentum non inducunt, ex n. præced. præſertim, cum promiſſio mutua non faciat Sponſalia ſimpliciter, niſi ſit inter perſonas certas, & determinatas.

Sequi-

200. Sequitur. 3. iustitiam publicæ honestatis non contrahi ex Sponsalibus, vel de futuro, vel de presenti *in præjudicium*, v. g. cum consanguinea primæ sponsæ; sed intellige, solum quoad effectum juris ex Ecclesiæ constitutione dirimendi matrimonium promissum primæ Sponsæ. Constat ex cit. c. unico. ibi: *Quare ille, qui Sponsalia purè, ac determinatè cum aliqua muliere contraxit, & postmodum cum secunda prioris consanguineâ, idem fecit, ex priorum Sponsalium vigore (quibus per publicæ honestatis iustitiam minimè derogatur) ad matrimonium contrahendum cum prima remanet obligatus.* Ubi vides, ex secundis hinc Sponsalibus, cum consanguinea primæ contractis, nasci quidem iustitiam publicæ honestatis, seu *propinquitatem sponsi, cum prima sponsa*; sed, non juris effectum, ut propterea matrimonium cum prima contrahendum dirimat.
201. Illud tamen not. quòd, si sponsus contraxit Sponsalia secunda cum consanguinea primæ sponsæ in gradu prohibito, & hanc cognovit, nec possit habere secundam propter impedimentum iustitiæ, publicæ honestatis ex primis Sponsalibus; nec primam, propter affinitatem cum illa contractam ex copula cum secunda, quæ ponitur consanguinea primæ, in gradu prohibito; his generaliter præmissis.
202. Quæstio 6. est, an iustitia publicæ honestatis contrahatur ex Sponsalibus etiam invalidis? Resp. ante resolutionem attendi debere, ex quo capite nullitas, seu invaliditas oriatur? Nam hoc provenire potest, vel ex defectu consensûs ad valorem Sponsalium requisiti (ut, si contracta sint ex errore, vel ex metu, consensum vitiantem) vel an contracta sint cum alio impedimento dirimente? quibus positis. Dicendum, aliud esse de jure antiquo, aliud de jure novo. *Jure antiquo* contrahebatur ex Sponsalibus etiam invalidis, quando invaliditas non fuit ex defectu consensûs, ut constat ex cit. c. Unico ibi: *Ex sponsalibus, etiam si quavis alia ratione nulla sint (dummodo non sint nulla ex defectu consensûs) oritur efficax impedimentum, ad dirimendum sequentia Sponsalia, vel matrimonia, non autem ad præcedentia dissolvendum, impedimentum iustitiæ publicæ honestatis.* Hoc autem videtur limitandum, ut non procedat quoad efficaciam, dirimendi matrimonium cum 1. Sponsa de futuro, propter Sponsalia secunda invalidè contracta, cum ejus consanguinea, in gradu prohibito, prout dictum est n. 363.
- Dixi *jure antiquo*. Nam jure novo 203. CC. Trid. Sess. 24. dereformat. matrimonii c. 3. hoc impedimentum non contrahitur ex invalidis Sponsalibus de futuro, ex quacunque demum causa invaliditas, seu nullitas illa proveniat; saltem si talis invaliditas publica sit, ut patet ex Concilii verbis in n. 197. Et ita tenet communis: Sanchez tamen L. 7. Matr. D. 68. n. 14. vult Tridentinum esse intelligendum solum, de *Sponsalibus publicè invalidis*, adeoque, quando nullitas non est publica, censet, nasci hoc impedimentum ex Sponsalibus invalidis ex alio, quam consensus defectu. Hinc docet, si invaliditas provenit ex impedimento solum occulto, etiam hodie, & jure novo, ex ejusmodi Sponsalibus invalidis, nasci impedimentum publicæ honestatis, quod etiam tenet Vincentius de Justis l. 2. Dispens. matr. c. 8. à. n. 24.
- Sed, contrarium est probabilius: quia 204. Trident. cit. expressè dicit; illud non contrahi, ex *Sponsalibus invalidis, ex quacunque causa sint invalida*; ergo etiam si sint invalida ex causa *occulta*; nam & hæc est aliqua causa invaliditatis; sic Rebellus de Obligat. Justitiæ lib. 3. q. 14. Castropal. D. 4. de sponsi. punct. 10. n. 9. & alii. Nec obstat quod opponit P. Sanchez, & alii dicentes; hoc impedimentum ab Ecclesia fuit statutum, ut vitaretur *publicum scandalum* ex eo, quòd quis sponsam sui consanguinei haberet in Uxorem; atqui hoc non caveretur, si ex Sponsalibus publicè validis (licet occultè invalidis) hoc impedimentum non proveniret; ergo. Resp. enim verum esse, quòd illa ratio fuerit Ecclesiæ in principio ad statuendum hoc impedimentum; cum autem Ecclesia successu temporis experientiâ didicerit, ex illa multitudine prohibitionum, & hujus impedimenti tantâ extensione, magna nasci incommoda, & inconvenientia, multò jam præponderantiora, prout idem Concilium loquitur in c. 3. de quo n. 197. idèd priorem prohibitionem restrinxit ad sola Sponsalia valida, rejectis *invalidis, ex quacunque demum causa* invaliditas proveniret;

niret; neque timendum est scandalum, sicut nec timetur ex aliis ejus restrictionibus, ubi hoc decretum Tridentini notum est. Ergo.

105. Porro, cum concilium ibi *indefinitè* loquatur de sponsalibus, non distinguendo, an solum intelligat sponsalia de futuro? an etiam de presenti? aliqui Doctores decretum illud *indefinitè* acceperunt, & dixerunt, impedimentum publicæ honestatis, vi hujus decreti, non contrahi, etiam ex sponsalibus de presenti, ubi valida non sunt; nec extendi ampliùs ultra primum gradum. Verum contrarium declaravit Pius 5. in sua constitutione, quæ incipit: ad Romanum, ubi declarat, decretum illud Trid. intelligi solum quoad sponsalia de futuro: in Sponsalibus autem de presenti hoc impedimentum adhuc durare in omnibus illis casibus, & gradibus, in quibus ante prædictum decretum Tridentini jure veteri productum fuit. Ex hoc sequitur, jure novo, & de facto, Titium (quantum est ex hoc capite) licitè ac validè contrahere matrimonium cum Berta, licet ipse prius, cum matre, sorore, vel filia Bertæ contraxerit Sponsalia de futuro, sed invalidè, propter impedimentum, ob cuius existentiam ea Sponsalia invalida fuerunt; quia ex ejusmodi Sponsalibus non contrahitur justitiæ publicæ honestatis cum Berta; hæc enim jure novo solum contrahitur ex Sponsalibus validis, ut constat ex Trid. loc. cit.

## §. 5.

An justitiæ publicæ honestatis contrahatur ex Sponsalibus, principio validis, sed mutuo consensu legitime dissolutis?

206. In hac quæstione duplex est sententia; prima est affirmantium; pro qua citatur Sanchez. l. 7. Matr. d. 68. à n. 21. & complures alii, propter quandam declarationem Cardinalium, quam refert Pyrrhus Corradus l. 8. dispens. Apostol. c. 7. n. 14. cui, præter complures accedit Fagnanus in c. ad audientiam, de sponsalibus n. 29. ubi ait: ad hanc quæstionem: an sponsalibus validè ab initio contractis, deinde mutuo consensu dissolutis, sit sublatum impedimentum justitiæ publicæ honestatis? pluries

Tom. IV.

propositam, ac maturè examinatam, Congregationem Cardinalium sub die 6. Julii 1658. censuisse, non esse sublatum; cuius sententiæ una cum rationibus hinc inde deductis, & recentioribus ejusdem Congregationis in hac materia responsis, factâ relatione ad Sanctissimum, Sanctitas sua, die 10. ejusdem mensis, prædictam Congregationis resolutionem probavit, eandemq. jussit, in dubium deinceps non revocari. Idem affirmat Fr. Hieronymus Nicolius, in flosculis, seu notabilibus prædictis, impressis. 1673. Romæ V. Sponsalia, n. 6.

His accedit P. Jacobus Wex in Opusculo Canonico-Tridentino de Sponsalibus p. 1. §. 6. qui sententiâ affirmantium; impedimentum sublatum esse, n. 42. ait, carere nunc omni probabilitate. Nititur dictâ declaratione Cardinalium; & n. 38. afferit, jam tempore Urbani VIII. tres declarationes contrarias illi sententiæ emanasse, & declarationem, quæ illi utuntur pro se & à nobis afferetur infra n. 210. non fuisse, nec esse authenticam, quibus positis: sententiâ dicentium, sublatum esse dictum impedimentum, impugnat ulterius eadem ratione, quam attulimus num. præced. pro 2. probatione. Deinde n. 35. ait prædictam Voluntatem legislatoris Ecclesiastici, ac perpetuitatem impedimenti semel existentis, demonstrare videntur sat clari textus SS. Canonum, præsertim c. accessit ad presentiam. 5. de despons. Impub. ubi Alexander III. ita statuit: si puella, ante desponsationem, septimum annum compleverat, licet prædictus Vir à desponsatione ipsius puellæ ipso jure fuerit absolutus (cum ea in eum consentire noluerit, postquam ipsa ad annos pubertatis venit, ubi datur potestas resiliendi) in honestum tamen videtur, ut matrem ejus habeat, cuius filia fuit sibi desponsata. In quo casu apertè deciditur, manere hoc impedimentum, licet præcedentia Sponsalia, non per mortem alterutrius, sed alio modo, per dissensum, nempe sponsæ, jure approbatum, dissolvantur; si ergo in isto casu, ubi jus expressè concedit potestatem, post pubertatem acquisitam, resiliendi, & per dissensum dissolvendi Sponsalia, tamen manet impedimentum publicæ honestatis ex præcedentibus Sponsalibus or-

H

rum,

tum, contra mentem ejusdem textûs diceretur, tolli hoc impedimentum, quando v. g. inter duos puberes contracta Sponsalia mutuo consensu dissolvuntur.

208. Confirmat. 1. ex summa dict. c. *Accessit*, quæ sic habet: *Sponsalia nulla ex defectu consensûs non creant publicæ honestatis justitiam; Sponsalia verò aliqua sic, licet legitimo modo fuerint dissoluta.* Confirmat. 2. hoc impedimentum manet, etsi Sponsalia per mortem unius dissolvantur juxta citatos textus claros, & ab omnibus admisso; ergo manebit etiam tunc, quando Sponsalia per mutuum consensum, aut quancunque aliam causam dissolvuntur, cum nulla solida disparitas assignari queat, sed in utroque casu præcesserint Sponsalia, quorum existentia semel data statuit hoc impedimentum publicæ honestatis perpetuò duraturum. Hæc pro opinione affirmantium impedimentum honestatis publicæ contrahi ex Sponsalibus de futuro, principio validis, licet postea mutuo sponforum consensu dissoluta sint.

209. Pro sententia negante stat Vincentius de Justis ( qui primum A. 1691. produxit in lucem. l. 2. dispensat matrim. c. 8. à n. 52. citans pro se Gutierrez, Pontium, l. 7. c. 36. n. 9. Dianam, parte. 3. tr. 4. resol. 223. Castropalaum. to. 5. D. 4. p. 10. n. 9. Barbofam de off. & potest. Epi. allegat. 51. n. 188. ) aperte dicens, *ex Sponsalibus principio validis, sed postea sponforum consensu dissolutis, non nasci hoc impedimentum, ut habet n. 54. & talia sponsalia censerit sub Sponsalibus invalidis, de quibus Tridentinum cit. dicit, ex eis hoc impedimentum non contrahi, quia scilicet in hoc casu cessat ratio injuriæ, quæ fiebat sponso, vel sponsæ repudiatis, & ad aliud cum consanguineo prioris sponsi, vel sponsæ, connubium, transeuntibus, quæ injuria causa fuit illud impedimentum ex Sponsalibus validis inducendi; sic ille.*

210. Fundantur & ipsi. 1. in declaratione S. Congregationis, quam refert Pyrrhus Corradus in Praxi dispens. Apostolic. l. 8. c. 7. n. 13. dicens: *sacram Congregationem pro dubiis Tridentini censuisse, Sponsalia de futuro contracta, posse quancunque, ante contractum matrimonium per verba de presenti, mutuo contrahentium consensu dissolvi; atq; ubi sic dissoluta fuerint, nul-*

*lum hodie inducere impedimentum, quia eademmet Congregatio censuit, dicta Sponsalia esse invalida, nimirum quoad effectum inducendi hoc impedimentum, eò quòd Concilium ad hoc requirit Sponsalia, non utcunque, & secundum quid, sed simpliciter valida, videlicet ex utriusque voluntate constanti, nec rescissa, nec revocata.* Hinc arguebant: juxta Trid. hoc impedimentum non nascitur ex Sponsalibus nisi simpliciter validis, ex utriusque voluntate constanti firma, & non revocata; sed Sponsalia principio valida, sed rursus libera sponforum voluntate soluta, non sunt talia: Ergo.

2. Quia in c. *si prius uxorem*, cum sequentibus. 27. q. 2. dicitur; hoc impedimentum manere *ex præcedentibus Sponsalibus de futuro, etiam non secuto connubio consequenter solutis sponsalibus, specificè solum expresso casu mortis, secuta in uno sponforum, unde ad matrimonium pervenire non poterant sponsi;* ex hoc autem colligitur, hoc impedimentum nasci solum ex Sponsalibus de futuro, per firmitatem voluntatum in utroque, quæ satis probatur per ejusdem constantiam usque ad mortem aut aliam necessitatem, quæ coguntur à matrimonio abstinere: at hæc voluntatum firmitas in sponsis de futuro non adest, quando libero, ac mutuo ipsimet consensu recedunt; Ergo.

3. Quia tota ratio, propter quam etiam consensu mutuo soluta Sponsalia, principio valida, & deinceps etiam post dissolutionem secum trahant dictum impedimentum, est, quia hoc impedimentum juris dispositione annexum est sponsalibus hoc ipso, quòd validè contracta sint; sed ex hoc non sequitur 1. quia nullâ ratione probatur, esse annexum firmiter, ac etiam in eventum casus, ubi liberè sponforum voluntate infirmantur, ut patebit ex seqq. 2. quia non probatur ullâ ratione illud esse annexum in casu contrahentorum validè, sed rescindibilem liberè. 3. quia plura juris dispositione annexa sunt certis casibus solum ex suppositione, quâ soluta, & illa tolluntur, ut constabit ex solutione contrariorum in n. 214. at hoc impedimentum nunc reperitur solum annexum Sponsalibus validis; & ex suppositione, quòd valida sint; ergo cum liberè mutuo sponforum consensu

sensu soluta desinant esse valida, desinet etiam id, quod Sponsalibus validis annexum est juris dispositione 4. quia plus non evincunt rationes contrariae.

213. Ad declarationem Cardinalium, de qua n. 206. respondent; de illa non constare authenticè; & alteram, huic contrariam, de qua n. 210. magis credibilem; eo quod hæc expressè habeatur in impressis declarationibus ad CC. Trid. Sess. 24. c. 3. de reform. matrim. *V. quacumq; ex causa*: declarationibus autem Cardinalium, de quibus non constat authenticè (quæ scilicet non apparent manu Cardinalis Præfetti, & Secretarii subscriptæ, ac consueo sigillo obfirmatæ) fidem adhibendam non esse, cum aliis doceat ipse Fagnan. in c. *quoniam*, de constitut. n. 59. præferim, si confirmatæ sint à Pontifice solum in forma communi.

214. Ad I. rationem in n. 207. respondent, ex c. *Accessit*, nihil probari. In eo enim non est sermo de nostro casu, seu de sponsalibus, *mutuo sponforum consensu*, sed à Judice (ob defectum ætatis in contrahentibus) dissolutis vel *solum unius dissensu*: Tridentinum verò tollens hoc impedimentum ex Sponsalibus invalidis, comprehendit etiam ea, quæ dissoluta sunt, *mutuo sponforum consensu*, ut dictum est 210.

Ad alteram rationem ibid: Resp. trans- eat, quod impedimenta semel *firmiter nata*, non amplius à voluntate contrahentium pendeant, sic, ut ipsi *directè*, pro libitu illa tollere possint; secus est, *indirectè*, ut in simili dicimus cum communi de juramento, & patet ex aliis exemplis. Nam qui Patri puellæ promissit matrimonium, obligatur Patri ex ea promissione acceptata: si tamen puella recuset ejus matrimonium, eo ipso etiam cessat promittentis obligatio erga Patrem; similiter, qui vovit aliquid directè in favorem hominis; hoc remittente, aut favorem recusante, etiam cessat obligatio voti erga Deum. Idem est de impedimento ex adoptione, quod cessat per emancipationem. Nec obstat, hoc expressum esse in jure. c. *Unico* de Cognat. legali. Nam etiam expressum est in jure novo Trid. hoc impedimentum jam non esse annexum Sponsalibus invalidis, undecumque invalida sint;

Tom. II.

ergo *solum validis*, quin restrictè textus dicat, *principio validis*.

Deinde responderet 2. ad idem argumentum, negando illius suppositum, quod nunquam ex Sponsalibus, per consensum solum *temporaliter*, seu merè trans- eunter præstitum, nascatur, aut natum sit hoc impedimentum. Nam Sponsalia mutuo consensu rursus dissoluta, invalida sunt *ex defectu consensûs*; at Sponsalia defectu consensûs invalida non pariunt hoc impedimentum jure novo, ut dictum est n. 204. & hoc respexisse videtur declaratio Cardinalium, de qua n. 210. quando dixit: ex ejusmodi Sponsalibus tanquam invalidis, non nasci hoc impedimentum, innuens, *ex defectu consensûs esse invalida, si is permanens non sit*.

Ad rationem in n. 208. petitam ex declaratione, de qua n. 206. reponunt responsum datum in n. 213. dicentes, illam authenticè non constare. Nec enim dubium est, declarationi Cardinalium, quæ habet vim declarationis *authenticæ* (quam scilicet judicio suo accedente specialiter approbavit Summus Pontifex) omnino standum esse, seclusis omnibus aliis declarationibus, si authenticè constet id, quod in ea desiderari censent Patroni opinionis contrariæ, existimantes alteram (in qua ipsi fundantur) de hoc plus habere, quod digna habita sit Tridentino inferi in declarationibus, ibid: appositis. Ad I. confirmationem desumptam ex summa, seu Rubrica capiruli accessit. 5. de despons. Impub. dicunt, nihil probari, cum nec textus, nec rubrica, loquatur de casu Sponsalium principio validorum, & postea liberè *per ipsos sponfos* solutorum.

Verba textus sunt: *mandamus, quatenus si tibi constiterit, quod puella non esset septennis, quando G. desponsata fuit, & postea in eum non consenserit, & quod idem G. ab hujusmodi desponsatione per te fuerit absolutus, matrimonium inter eundem G. & matrem puella celebratum precipias inviolabiliter observari, & eorum prolem denunties esse legitimam*: quia desponsationes & matrimonia ante septem annos fieri non possunt, *si consensus postea non accedit*. Sanè si præfata puella ante desponsationem septimum annum compleverat, licet prædictus Vir à despon-

H 2

fatio

fatione ipsius puella ipso jure fuerit abolutus, cum ea in eum consentire noluerit: inhonestum tamen videtur, ut matrem habeat, cujus filia fuit sibi desponsata.

218. Ex prima parte hujus textus patet, ibi sermonem esse de Sponsalibus invalidis ex defectu consensûs non dati à puellâ jam septenni; & ideo matrimonium postea cum ejus Matre contractum à Titio, in quem puella non consenserit, non fuisse separandum, eo quod esset validè contractum, cum nulla præcesserint Sponsalia valida cum ejus filia: in 2. verò parte apertè sermo est, de casu, quo puella ante desponsationem septennium compleverat; quia tamen puella tunc consensit, inhonestum dicitur, ut esto puella pubes facta, in priori consensu adeptâ pubertate non perseveraverit, matrem ejus habeat; at ex his omnibus non probatur, perseverare impedimentum publicæ justitiæ, licet ponas natum ex Sponsalibus principio validis, etiam postquam liberè soluta sunt mutuo sponforum consensu. Casus enim præfens est de Sponsalibus à puella impubere contractis cum pubere; & postea solius puellæ renitentiâ solutis, quia puella pubes facta non amplius consentire voluit.

219. Hinc si dicas: impedimentum publicæ honestatis nasci ex Sponsalibus validè contractis etiam voluntate non firmâ, nimirum esto postea infirmari possit ab impubere, ubi pubertatem attigit, ut apertè constat ex c. Accessit §. sanè; ergo ratio nulla est, quâ nititur sententia opposita: Resp. enim aliud esse, voluntatem non esse firmam ex necessitate, eò quod unius renitentis voluntate infirmari possit privilegio aetatis; aliud quod infirmari possit libertate mutua ipsorum sponforum: nam, si solvantur uno tantam renitente, potius cessant necessitate, quam utriusq. voluntate; secus, si ambo perseverare nolint mutuo utriusque consensu remittente sponsalium obligationem; & ex hoc procedit ratio sententiæ oppositæ, contra quam nihil facit §. sanè.

220. Ad 2. confirm. in eod. n. 208. C. ant. Nego conseq. discrimen est. 1. quia pro antecedente habetur expressio juris; non pro consequenti. 2. quia in antecedente solutio sponsalium contingit naturali necessitate; non autem mutua sponfo-

rum libertate. Necessitas autem naturalis superveniens libero voluntatis exercitio potius voluntatem firmat; non autem superveniens libertas revocativa prioris. Sic donatio conjugum, licet ante mortem donantis infirma sit, secutâ ejus morte firmatur. Et hæc pro sententia negante impedimentum publicæ honestatis nasci ex Sponsalibus principio validis, postea tamen mutuâ sponforum libertate solutis.

221. Ex his duabus opinionibus sibi oppositis, sententia negans impedimentum justitiæ publicæ vel nasci, vel permanere ex Sponsalibus principio validis, sed rursus liberè solutis mutuo sponforum consensu, spectatis præcisè vel rationibus, & probationibus ex jure communi desumptis, seclusâ nimirum declaratione S. Congregationis, de quâ n. 206 non modò non improbabilis redditur ab affirmantibus; sed nec argumento prævalente. Et ideo illam complures docuerunt, & secuti sunt, prout videri potest apud Barbof. p. 3. de offic. & potestate Episcopi, allegat. 51. à n. 188. & Gobat tr. 9. à n. 372. Castropal. de sponsal. d. 4. p. 10. n. 9. nisi declaratione, de quâ supra, & rationibus allatis à n. 210. Cæterum, si declaratio, de qua sermo est in n. 206. sit authentica, & à summo Pontifice, prout ibid. dicitur, approbata specialiter, non est dubium illi omnino deferendum, ac conformiter ad mentem summi Pontificis, quæstionem esse resolvendam.

222. An autem dicta S. Congregationis declaratio habenda sit authentica; an, ut vim legis obtineat, ligantis omnes Christi Fideles, esto nullibi sit juridicè, seu solenniter publicata, prout multi valde rationabiliter existimant, pendet à quæstione de conditionibus in ordine ad hoc requisitis, de quibus agi solet in tractatu de Legibus, & à nobis dictum est, lib. 1. decret. tit. 2. de Constitut. Multæ enim passim declarationes S. Congregationi tribuuntur, etiam contrariæ, ut passim videri potest in authoribus; quæ tamen non authenticæ sunt, sed merè doctrinales; imò quandoque nec ab ipsa factæ, propter quod multi libri, & volumina declarationum, quæ mentio ipsius Congregationis nomine prodierunt in lucem, ab ead. Sac. Congregatione sub dato Romæ 29. Apr.

29. Apr. 1621. reprobantur, annuente SS. D. N. Gregorio XV. indici librorum prohibitorum addenda. Decretum hoc S. Congregationis refert opusculum, cui Titulus: *Parochianus obediens*, artic. 20.

## §. 6.

*Quousq; impedimentum justitia publica se extendat?*

223. Cùm dixerimus, quòd justitia publicæ honestatis dirimat matrimonium contrahendum, inter quemlibet sponforum, & consanguineos alterius, dubitari potest, an intelligatur de omnibus consanguineis alterius, *in quocunque gradu*, an solùm in gradu *certo*, & non ultra? Resp. jure antiquo fuisse extensum usq; ad 4. gradum inclusivè, sive ex Sponsalibus de futuro proveniret, sive ex Sponsalibus de præsentibus; ut tenet communis. Nam textus loquentes de hoc impedimento, licet gradum non exprimant, omnes tamen loquuntur, & dicunt extendi ad consanguineos; quo satis indicant *gradum*, quia consanguinei, post Innocentium 3. in C. *non debet*, de consanguinitate, sunt intra 4. gradum, & non ultra, spectato jure Canonico; igitur & hoc impedimentum nascens ex propinquitate sanguinis, solùm inchoatâ, & longè inferiore illâ. Dixi *jure antiquo*. Nam hodie, & jure novo, quando provenit ex Sponsalibus de futuro, non excedit primum gradum, tam in linea transversa, quàm recta; si autem ex Sponsalibus de præsentibus, seu matrimonio rato tantùm, etiam hodie manet sub dispositione juris antiqui ex dictis à n. 197.

224. Ex hæcenus dictis colliges, consanguineos Mariti cum consanguineis Uxoris, licetè contrahere matrimonia, prout expressè rescripsit Innocentius III. Archiepiscopo Rosan. ibi: super eo igitur, quòd *pater & filius, cum matre & filia, & duo cognati cum duabus cognatis, Avunculus, & nepos cum duabus sororibus contrahunt matrimonia*, taliter tibi duximus respondendum, quòd *licet omnes consanguinei Viri sint affines Uxoris, & omnes consanguinei Uxoris sint Viri affines: inter consanguineos tamen Uxoris & Viri, ex eorundem* (scilicet Viri & Uxoris conjugio)

*nulla prorsus affinitas est contracta, propter quam inter eos matrimonium debeat impediri.* Ne autem intra gradus prohibitos matrimonium contrahatur, debes publicè inhibere, & præsumptores Ecclesiasticâ districtione punire, non obstantè consuetudine, quæ dicenda est potius corruptela.

## ARTICULUS VI.

*De dissolutione Sponsalium.*

Sponsalia de futuro (nam de his in præ- 225. sens loquimur) variis modis dissolvi posse, constabit ex sequentibus. Porissima tamen hic quæstio est, quænam sint justæ causæ, ob quas, vel ab ipsismet sponfis, vel ab Ecclesiastico Judice, legitimè dissolvi possint? Non inquirimus autem de causis, quæ impediunt, ne Sponsalia validè fiant; sed illis, quæ superveniunt illis validè contractis, & fundamentum præbent, illa justè rescindendi. Ista porò causas copioso numero quidam referunt apud Sanch. l. 1. Matr. D. 42. & seqq. Gobat. tr. 10. à n. 245. & alios, quibusdam afferentibus sedecim; aliis 12. aliis pauciores. Lancelotus autem l. 2. Institut. juris Canon. de Sponsalibus, reducit omnes ad duas classes, quarum prima contineat eas causas, propter quas Sponsalia justè dissolvuntur *ipso jure*; altera, ob quas, *facto hominis*. Cæterùm prætermittà legitimitate hujus, aut illarum divisionum, de illis in seqq. agemus, quæ frequentius evenire solent.

## §. 1.

*An Sponsalia legitimè dissolvantur mutuo Sponforum consensu?*

Quæstio in præsens procedit quoad 226. Sponsalia de futuro inter puberes legitimè contracta; nam de Sponsalibus impuberum dicemus tit. 2. De præsentibus quæstione agitur c. *Præterea*, 2. h. t. ubi Innocentius III. sic rescribit Episcopo Exonensi: qui de matrimonio puro, & sine omni conditione fidem dederunt, commonendi sunt, & *modis omnibus* inducendi, ut *præstitam fidem observent. Si autem se ad irrevocem admittere noluerint: ne fortè deterius inde contingat, ut talem scilicet ducat,* quam

quam odio habet: videtur, quod ad instar eorum, qui societatem interpositione fidei contrahunt, & postea eandem sibi remittunt, hoc possit in patientia tolerari. Ex hoc textu ad quaestionem propositam responsio est affirmativa, quando remissio utrinque fit consensu iusto, & libero. Nam Sponsalia de futuro non sunt contractus naturam suam insolubilis; ergo ex iisdem causis possunt solvi, ex quibus nata sunt, per c. 1. de Reg. Juris; imò in citato capitulo dicitur mutuo consensu solvi posse, sicut contractus societatis, qui mero jure, & mutuo sociorum consensu licite solvitur. Nec obstat, quod ibidem dicitur: *omnibus modis inducendos esse, ut datam fidem servent, si autem nolint, in patientia tolerari posse, mutuum fidei remissionem.* Hoc enim ibi propterea dicitur, ut caveatur apparentia mali, nascentis ex opinione vulgi, ac existimantis, laedi vinculum datam fidei, per talem recessum; ita communis.

227. Ex quo colliges, quando *leges* indefinite dicunt, ad Sponsalium solutionem sufficere unius tantum sponsi disensum, vel reclamationem etiam invito altero, id nec aequitati, nec conscientiae conformem esse. Quare reprobatum manet, quod indefinite dicitur L. 1. C. de sponsal. ibi: *Alii desponsata, renuntiare conditioni, & nubere alii, non prohibetur;* sic enim conceditur, alteri *datam fidem violare*, quod tamen cavendum esse, natura docet. Si tamen unus sponforum sic injuste recedat, non est dubium, alterum ab obligatione sua liberari; quia frangenti fidem, fides impune non servatur. L. *Cum proponas* 21. c. de pactis. L. *si convenerit.* ff. Pro socio c. *si infideles.* 28. q. 2.

228. Quæri etiam solet, an idem dicendum sit in casu, quo Sponsalia sunt *jurata*? affirmativa secundum aliquos colligitur ex Rubrica cit. c. 2. de spons: sed rectius distinguitur. Nam si juramentum, sponsalibus appositum, sit in favorem alterius ex contrahentibus, etiam hoc solvitur mutuo consensu solutis Sponsalibus. Quia tunc deficit materia, in quam cadit juramentum, nimirum promissio homini facta: si autem juramentum principaliter sit præstitum in honorem DEI, & causam pietatis, non pauci negant, juramentum solvi, solutis mutuo sponforum consensu

Sponsalibus. 1. quia promissum alicui factum causa pietatis, ab eo remitti non potest. 2. quia in voto persona privata nihil potest; at tale juramentum, æquivaleret voto; 3. quia jus DEO acquisitum homo remittere non potest; at ex tali juramento est jus DEO acquisitum; Ergo.

Probabilius tamen est, etiam in hoc casu juramentum solvi, quando ejus materia est promissio futuri matrimonii à DEO acceptata in favorem alterius partis. Tunc enim ille, quod in suum favorem præstandum erat, remittere potest, consequenter tollere materiam juramenti, sine qua non stat. Prima ratio in contrarium procedit in casu, quo res promissa non cedit in favorem hominis; idem est in voto de materia, quæ cedit in favorem hominis, ex quo patet ad 2. Et ideo etiam homo indirectè facere potest, ut jus ex voto, vel juramento acquisitum DEO, cesset voluntate hominis, quando debitum ex tali jure, cedit in favorem hominis, ex quo patet ad 3.

Et si verò ad *validè rescindenda Sponsalia* sufficiat liber & mutuus sponforum consensus; non sufficit tamen secundum aliquos, ut id fiat *licite*, saltem sine veniali; sic Gobat tract. 10. n. 247. referens idem sentire Aloysium Riccium tom. 1. resolut. 218. qui tamen dictum limitant, si fiat absque justa causa. Sed in hac materia, *cause justitiae* vix unquam abesse potest, cum raro admodum, contingere videatur, ejusmodi recessus cum mutua sponforum libertate, nisi quia vel metuunt malum aliquod, si perseverent; vel jam non est amplius affectus ille calidus, quo erant, dum contraxerunt; quo casu ne perpetuo ligentur ad perennem vitæ consuetudinem, melius, & sanius omnino est, de alterius consensu libero, recessui canere; quam semper gemere sub tali jugo.

### §. 2.

#### *An Sponsalia de futuro solvantur ingressu Religionis?*

Loquimur de Sponsalibus antecedenter ad talem ingressum celebratis. In hac materia certum est, matrimonium, *natum tantum*, dissolvi ex parte utriusque per unius ingressum Religionis approbatam, *secundum*

secutâ professione, ut habetur c. 2. de Con-  
verf. Conjugat. ibi: *alteri remanenti licitum est ad secunda vota transire*, quod statutum est in favorem Religionis, ut not. gl. in c. *Unicum*, de *Voto* in 6. V. *sacri ordinis*. Cùm enim hic casus propositus fuisset Alexandro III. Papæ ab Archiepiscopo Salernitano, respondit Pontifex: *post consensum legitimum de presenti, licitum est alteri, altero etiam repugnante, eligere monasterium (sicut sancti quidam de nuptiis vocati fuerunt) dummodo carnalis mixtio non intervenerit inter eos: & alteri remanenti (si commonitus, continentiam servare noluerit) licitum ad secunda vota transire*. Quia quum non fuissent una caro simul effecti, satis potest unus ad DEUM transire, & alter in sæculo remanere.

232. Quæstio est. an Sponsalia de futuro solvantur per solum ingressum Religionis approbata, nondum secutâ professione, sed solum suscepto habitu? Resp. per ingressum Religionis, etiam nondum secutâ Professione, Sponsalia de futuro sic solvi ex parte remanentis in seculo, ut, si velit, licitè possit resilire; ratio est. 1. quia in hoc casu (sive dolo, & fide tantum, sive animo sincero fiat ingressus) supervenit notabilis mutatio in altero Religionem ingrediente; cùm plerumque dedecorosum reputetur, mulierem nubere illi, qui Monachus fuit; 2. quia per ingressum hic sufficienter significat, se sponsam remittere suam obligationem; sic Innoc. in c. *Veniens*. *Qui Clerici Et. & alii*.

233. P. Sanchez l. 1. hic D. 42. n. 5. docet in hoc casu, ex parte utriusque solvi Sponsalia per ingressum Religionis, etiam professione non secutâ, quando unus bonâ fide ingreditur Religionem, ut communiter fit; secus, si dolosè, & animo statim exeundi: quia *fraus nemini patrocinari debet c. ex tenore, de rescript.* rationem videtur desumere à favore Religionis; ut, sicut professioni, quâ consummatur probatio Religionis, tribuit vim dissolvendi matrimonium ratum tantum, quo consummatur Sponsalia; sic per ingressum Religionis, quo inchoatur professio, solvantur Sponsalia, quibus inchoatur matrimonium. Nam, sicut se habet favor professionis ad matrimonium ratum: sic habet se favor ingressus Religionis ad

Sponsalia; sed ibi professio propterea solvit matrimonium ratum ex parte utriusque: ergo & hic ingressus solvit Sponsalia ex parte utriusque. 2. Quia obligatio voti Religionis sic dissolvitur per ingressum in Religionem bonâ fide, seu animo perseverandi, factum, ut licet contingat voventem ex justa causa rursus egredi ad seculum, tamen liberetur ab obligatione voti: ergo etiam Sponsalia sic dissolvit ingressus Religionis bonâ fide factus, ut licet contingat eum ex justa causa rursus egredi ad seculum, tamen liberetur ab obligatione Sponsalium.

Sed dicendum est, nec in dato casu solvi Sponsalia ex parte religionem ingredientis (etiam bonâ fide) ante professionem emissam; sic Castropal. *Dis. 1. de sponsal. p. 21. n. 4.* ubi docet, *votum religionis, matrimonio contra illud contracto, suspendi*; quod etiam tenet de obligatione Sponsalium, ut dicemus infra. Ratio autem est. 1. quia Sponsalia, ex natura rei, consistere possunt cum statu Religiosæ probationis; ergo per hunc Sponsalia non dissolvuntur *ab intrinseco*, seu ex natura rei: sed nec *ab extrinseco*, expressâ, vel tacitâ renuntiatione remanentis in seculo, ut ponit casus; nec ob supervenientem mutationem in non ingrediente; cùm statum non mutet: nec denique *ob favorem Religionis*; nam concessio facta *Professione* fundatur in bono statûs religiosæ *opere suscepti, & professi*; quæ, cùm odiosa sit (utpote præjudicans juri remanentis in seculo & firmati matrimonii, verè contracti) extendi non debet ultra casum expressum; at in dispositione favente professioni ad dirimendum matrimonium ratum, nulla fit mentio *de solo ingressu* nondum secutâ professione; & ingredienti satis provisum est eâ dispositione; ad solam professionem restrictâ; cùm & à Sponsalibus liberetur professione secutâ: Ergo.

Ex hoc Resp. ad rat. in contrarium: nam ad 1. negatur, rectè paritatem, vel extensionem fieri à professione *ad ingressum Religionis* illi prævium in casu hujus dispositionis odiosæ, ut jam dictum est; quia per hoc, quod bonâ fide ingrediens religionem, etiam pro casu egressus liberetur ab obligatione Sponsalium, non tam promovetur Religio, quàm alliciatur Novi-

Novitius ad egrediendum; & aliunde factis provifum est ingressui pro casu perseverantiae. Deinde, Novitatus non includit obligationem edendi professionem, sicut Sponsalia contrahendi matrimonium; ergo ingressus Religionis, seu ejus probatio, non habet se ad Sponsalia, sicut professio ad matrimonium ratum, tantum.

236. Ad 2. Resp. negando paritatem. Nam votum ingrediendi religionem, per ingressum bonâ fide factum, jam est impletum, etiam facto regressu ad seculum ex justa causa: at per ingressum Religionis, licet bonâ fide factum, Sponsalia non sunt impleta; nec tacitam solius ingressus conditionem imbibunt: ergo. Et videtur argumentum redire in suos auctores ex aliorum sententia.

Nam Leander à SS. Sacramento tract. 2. de Jurament. D. 16. q. 30. expressè habet, *vota personalia, in seculo emissa, impediencia executionem exercitiorum Novitatus, verè suspensa esse ipso jure, & quasi supita; & sic non obligare Novitium, dum maneat in Religione*; ergo si per talem ingressum ex parte voventis solum suspenduntur, non extinguuntur ea vota, dum est ingressus Religionem, antequam edat substantialia vota Religionis; dicendum potius, erit etiam Sponsalia ex parte ingredientis Religionem, antequam edat substantialia vota Religionis, esse tantum suspensa, non extincta; dixi, ex aliorum sententia. Nam de illa quæstione, quam tenet Leander, expressè egimus l. 3. tit. 31. de Regul. & ingred. Relig.

237. Ex præmissis sequitur, sponsam de futuro, licitè inire posse, vel alia Sponsalia, vel etiam matrimonium cum alio, non tantum, quando Sponsus ipsâ invitâ in Religione approbata edidit professionem solennem, ut dicemus infra; sed etiam, dum hic versatur in anno probationis, suscepto jam habitu; imò probabiliter etiam, dum actu Novitatum ingressus est, propter tacitam ingredientis renuntiationem, quod maximè procedit, si remans in seculo id faciat consulto, ac approbante Judice. Nam per ingressum Religionis (antequam sequatur professio solennis) non solvuntur Sponsalia ex parte ingredientis etiam bonâ fide, ex n. 234.

Hinc, si talis regrediatur ad seculum, seu citra, seu cum justa causa, tenebitur implere Sponsalia volente altero, qui in seculo remansit; quia remanet, ex parte ipsius, obligationis vinculum, ex Sponsalibus contractum; sic Layman l. 5. tr. 10. c. 2. n. 2. Zælius de spons. n. 27. & alii.

§. 3.

An cuilibet Sponsorum liceat, Religionem ingredi?

Quæstio procedit de ingressu, post celebrata Sponsalia jurata de futuro, nondum secuto matrimonio. Negativam sequitur Rebellus. l. 4. hic q. 8. S. 6. conclus. 2. ex c. commissum, de Sponsalibus, ubi Pontifex super hoc interrogatus, respondit: *tutius est ei, religione juramenti servatâ, prius contrahere, & postea (si elegerit) religionem intrare*: sed Resp. probabilius esse (si nihil aliud in dato casu accedat, quàm ratio juramenti) posse, non contracto matrimonio, religionem ingredi. Nam quando quis, etiam suppositis Sponsalibus non juratis, licitè potest ingredi religionem, vinculum juramenti, vinculo Sponsalium, accessorie superadditum, ingressum non reddit illicitum; sed sic est in dato casu, quia, cum juramentum accessorium sequatur naturam actus, cui ad majorem firmitatem apponitur (ut dicitur c. quemadmodum 25. de juramento, ibi: *pro fornicatione, quam postea perpetraret, eam dimittere posset, non obstantibus hujusmodi juramento (quod eam semper pro legitima uxore teneret non obstante fornicatione, quam antea commiserat) quoniam in eo talis erat conditio subintelligenda, si videlicet illa in legem conjugii non peccaret*, de quo etiam V. L. fin. ff. de non num. pecun.) juramentum æque erit conditionatum, ac Sponsalia, quibus accedit: at Sponsalia in hoc casu sunt sub hac tacitâ conditione, *si non elegero statum Religionis*; cum ergo hæc conditio, etiam suppositis Sponsalibus non juratis, licitè non purificetur, intrando religionem; licebit etiam in casu juramenti solum obligantis ex eadem suppositione. Sic Gloss. in c. Commissum, superius citatum, V. Tutius, & alii communiter cum Innoc. Hostiens. &c.

Nec

239. Nec obstat textus in c. *Commissum*. 1. quia Pontifex non negat, illum licet posse ingredi, non contracto prius matrimonio; sed solum dicit, *tutius esse*, prius contrahere, ac postea ingredi, quod est solum consilium, ut expresse docet Sanchez cit. *D. 43. n. 3*; Barbola in cit. c. *Commissum* n. 2. & communis. Accedit, aliquos non immerito existimare, ideo Pontificem in hoc casu consuluisse, ut prius contrahat; quia ille juvenis nondum firmiter de religionis ingressu statuerat, vel votum super hoc emiserat; ut pat. ex textu, ibi: *postea, si elegerit religionem, & ad eam suscipiet*; quo casu sine dubio tutius erat, iuramentum in vigore peritans implere, quam cum non debita deliberatione ingredi religionem; ita Covarr. Sanch. & alii, quos citat, & sequitur Castropal. de *sponsal. D. 1. p. 18. n. 6*. Nec obstat, ibi dicit: *privata lege ductus*; nam hoc non indicat votum, sed internum quendam instinctum, quoad religionem ducebatur.

140. Dices: qui juravit solvere usuras, tenetur prius eas solvere solutione saltem momentanea, licet deinde illas possit repetere; ut dicitur in c. *Debitores. 6. de Jurejurando*; ergo qui juravit contrahere matrimonium, tenetur prius id contrahere, licet deinde illud possit dissolvere, religionis ingressu cum effectu. Resp. N. confes, quia matrimonium in illo casu non habet eam tacitam conditionem, quam habet iuramentum Sponsalibus appositum, ut dictum est n. 238. quod etiam respondetur ad similes priori casus obligationis jurata, quibus non subest tacita conditio, quae subest juratis Sponsalibus. Accedit, quod (esto in dato casu iuramentum teneret) adhuc licet religionem ingrederetur non contracto prius matrimonio. Nam qui iuramentum istud melius commutat, non videtur illud infringere c. *Scriptura 4. de Voto*, ibi: *Reus voti facti aliquatenus non habetur, qui temporale obsequium in perpetuum noscitur religionis observantiam commutare*. Melius autem est per se loquendo, religionem ingredi, quam matrimonium, ut dicitur c. *Nuptiarum 27. q. 1*. imò videtur etiam expedientius respectu sponsae. Nam si prius illam duceret, ac deinde religionem profiteretur, illa teneretur innupta remanere, quam diu Vir est in probatio-

Tom. II.

ne; & si exiret, recipere, ac in maritum habere Virum, qui fuit Monachus; ac tam subita desertionis, aut illusionis notam cum ludibrio, ut fit inter homines, magna molestia sustinere: dixi superius n. 238. *si nihil aliud accedat* in dato casu, quam ratio iuramenti. Nam quid sit dicendum, si post Sponsalia secuta sit defloratio, praesertim spe matrimonii muliere inducta, vel scandalum, aut similis ratio gravis? constat ex §. seqq.

## §. 4.

## An Sponsalia de futuro solvantur per subsequens votum religionis ingrediende?

Resp. quod triplex quaestio fieri possit, 241. an Sponsalia, quae praecesserunt emissionem illius voti, solvantur, 1. ex parte alterius non voventis? 2. an etiam ex parte voventis? 3. an is, qui tale votum emisit, non contracto prius matrimonio licet possit ingredi Religionem? Ad 1. responsio est affirmativa; quia talis merito praesumitur alteri remittere obligationem; cum imponat sibi onus voti non compatibilis cum Sponsalium adimpletione, quae fit contracto matrimonio. Nam vel voveret ingressum religionis post contractum, sed non consummatum matrimonium, hujus voti conscia, vel inscia sponsa? vel voveret ingressum religionis, faciendum ante contractum matrimonium? si primum, nimirum, *inscia sponsa*, votum illud probabilius non valet, ex dictis à n. 48. *si conscia, & consentiente sponsa*, merito haec praesumet, sibi remitti contractam obligationem, nisi aliud convenit super expectando, ut colligitur ex dict. de ipso ingressu in religionem, antequam facta sit professio, praesertim, cum obligatio talis voti posterior sit Sponsalibus, pure contractis; si autem dicatur secundum, nimirum, quod votum fiat de ingredienda religione, non contracto matrimonio? votum erit in praedictum sponsae hujus ignarae.

Ad 2. Resp. videri probabilius, eo voto ex parte voventis non dissolvi Sponsalia prius contracta, priusquam fiat ingressus cum effectu secuta professionis. Nam per Sponsalia prius contracta cuilibet Sponsorum natum est jus exigendi, quod promissum,

missum, dum hoc præstari potest; sed non obstante tali voto, à vovente præstari potest alteri promissum matrimonium, saltem pro casu, quo factu ingressu non sequeretur professio, vel Religione illum non recipiente; vel Novitio justa de causa recusante; ergo alteri adhuc maneret tunc ab ipso debitum promissum matrimonium; consequenter ex hujus parte Sponsalia non sunt dissoluta.

243. Ad 3. Resp. de hac quæstione ab Episcopo Brixinensi consuetum Alexandrum III. sic scripsisse, ut habetur in c. *Ex publico. 7. de Convers. Conjugator*: ex publico instrumento nobis innouit, quòd, cum Veronen. Episcopus causam matrimonii, quæ inter A. Virum, & M. mulierem vertebatur, suscepisset terminandum, judiciali sententiâ matrimonium approbavit, & eidem mulieri præcepit, ut ad Virum rediens exhiberet eidem conjugalem affectum; quòd, cum renueret, fuit vinculo excommunicationis adstricta. Cæterùm, quia, *licet à præfato viro desponsata fuit: adhuc tamen (sicut asserit) ab ipso est incognita, mandamus, quatenus, si prædictus Vir ipsam carnaliter non cognoverit, & eadem ad religionem transire voluerit, recepta ab ea sufficienti cautione, quòd vel ad religionem transire, vel ad Virum suum redire intra duorum mensium spatium debeat, ipsam à sententia, quâ tenetur, absolukas, ita, quòd, si ad religionem transierit, uterq; restituat alteri, quòd ab eo noscitur recepisse.*

244. Ex hoc enim textu colligitur. 1. quòd sponsa de præsentis nondum cognita, possit Religionem ingredi, eâ tamen lege ac cautione præstitâ, ut vel ad religionem transeat, vel intra spatium duorum mensium ad Virum suum revertatur. Nam ultra hunc terminum nullus conjugum, quando matrimonium est ratum tantùm, tenetur expectare alterius voluntatem, quoad jus liberè transeundi ad Religionem. 2. in casu, quo unus ejusmodi conjugum transiret ad Religionem, uterque restituat alteri, quòd ab eo noscitur accepisse. 3. quòd uno Sponsorum Religionis habitum assumente (nimirum cum effectu professionis secutâ) alter ad alia vota licentiam habeat transeundi, ut notatur in dict. c. *Ex publico*, lit. I.

Major quæstio est, an, per votum religionis ingrediendæ, solvantur Sponsalia de futuro, prius legitime contracta, & spe promissi matrimonii consummata? Resp. 1. non solvi ex parte illius, qui sponsam defloravit, ubi Tridentinum irritans matrimonia simpliciter clandestina non est publicatum, & usu receptum. Nam tale votum non habet vim solvendi matrimonium validum; at Sponsalia de futuro legitime contracta, secutâ inter Sponsos copulâ à carnali, sunt matrimonium validum (ubi non viget citatum decretum. Trid. c. *Veniens. 15. de spons.* ibi: *mandamus, quatenus, si inveneris, quòd primam post fidem præstitâ cognoverit, cum ea facias remanere, licet postea sponsalia cum alia contraxerit per verba de præsentis, & c. Is, qui 30. eod. ibi: Is, qui fidem dedit mulieri super matrimonio contrahendo, carnali copulâ subsecutâ, etsi in facie Ecclesie ducat aliâ, & cognoscat, ad primam redire tenetur.* Ex hoc enim textu sequitur, ubi decretum Tridentini matrimonia simpliciter clandestina irritantis, non est publicatum, & usu receptum, etiam hodie Sponsalia de futuro transire in matrimonium secutâ carnali copulâ inter Sponsos, ut constat est *cit. c. 15. n. 30.* quamvis tale matrimonium solum sit matrimonium præsumptum, sed præsumptione juris de jure, nimirum adeò forti, ut contra illam non sit probatio admittenda, & nec verum, nec ali-quod censetur matrimonium, quòd de facto est postmodum subsecutum, ut aperte habetur in *c. 30. cit.* quòd intellige pro foro externo; nam in foro conscientie peccatur veritas, ubi constat de falsitate præsumptionis, cujus probatio in hoc foro non rejicitur.

Resp. 2. in loco, ubi matrimonia præsumpta, de dato consensu, non habent locum, per subsequens votum ingrediendæ religionis, Sponsalia de futuro legitime contracta non dissolvi, ex parte illius, qui mulierem spe secuturi matrimonii defloravit, nisi prius defloratæ satisfactio præstetur. Nam tunc, promissio ingressus in Religionem, fieret in grave præjudicium defloratæ; consequenter in ea circumstantia ingressus foret illicitus; & promissio ejus de re illicita; adeoque nec tenet, nec Sponsalia solvit. Et hoc verum esse vult Pirhing n. 54. de Sponsalibus, etiam

etiam si copula tunc non sit vel consummata, vel secuta; sed tantum gravis iactura fama.

247. Quæstio est. 2. an Sponsalia de futuro, post emissum votum ingrediendæ religionis contracta, & spe futuri matrimonii consummata, solvantur eo voto antecedenti dissolutione impediende vinculum Sponsalium subsequendum? Resp. affirmative; nam ea Sponsalia, votum legitime factum subsecuta, continent promissionem rei illicitæ contra voti obligationem; si dicas: ergo vovens, in tali casu, tenebitur implere votum? Resp. quod P. Sanchez l. i. D. 45. hic n. 3. c. 5. doceat, voventem, in dato casu, teneri corruptam ducere, si hæc voti ignara fuit; & votum, prius emissum, interim suspendi sic, ut eâ mortuâ votum rursum urgeat; non autem eâ vivente, quod tunc votum, rebus notabiliter mutatis, non obliget: & probabilius omnino est in dato casu mulieris spe matrimonii corruptæ, post emissum ingrediendæ religionis votum omnino suspendi, cum materia voto promissa (propter damnum, quod mulieri ex iustitia in dato casu refarciendum est) notabiliter sit mutata, & nullum votum obliget ad exequendum promissum, quando id fieri non potest sine detrimento alterius, præsertim gravi. Voventem autem in dato casu non teneri ad eam determinatè ducendam; sed vel ducendam, si non possit aliter compensare damnum; vel dotandam, si possit, & velit, dotatione competente. Quia tunc non est necessitas, seu obligatio adstringens eum determinatè ad matrimonium, ut dictum est in simili. supr.

248. Quæstio est. 3. an quis post jurata Sponsalia de futuro, valeat edere votum, contracto, sed non consummato matrimonio, Religionis ingrediendæ? Resp. tale votum non valere. 1. propter periculum violandi votum, cui contracto matrimonio se exponit; ideo enim post ejusmodi vota per plures canones cautum est, ne matrimonium contrahatur. Accedit, quod mulieri, post matrimonium contractum relicta, plura damna inferrentur, præsertim quod, si non perseveret, debeat Virum habere, qui Monachus fuit, & non raro graves contra bonam famam sic desertæ suspiciones in vulgo causet, ut diximus

Tom. IV.

supr. Et ideo talis vovens, in dato casu, non teneretur religionem ingredi; nec licitè posset, esto votum valeret, excepta necessitate, de qua dicam infra. Quia esto valeret, executionem ejus teneretur suspendere, dum satis cautum sit periculis, quæ contracto prius matrimonio, & secuto ingressu, sequerentur.

Dices. 1. qui juravit Sponsalia, licitè potest, non contracto prius matrimonio, religionem ingredi, etiam invitâ Sponsâ: ergo idem potest contracto, sed non consummato matrimonio. Resp. N. conseq. quia in primo casu non sunt annexa illa Sponsæ damna, & violandi voti pericula jure verita, quæ in secundo, *supposito voto*. Nam in primo casu non adesset periculum violandi votum, quod fit contracto matrimonio; nec mulier à religione reversum ad seculum, teneretur habere in matrimonium.

Deinde, dupliciter fieri potest, quod quis post jurata Sponsalia, prius contracto, & non consummato matrimonio, Religionem ingrediatur, etiam non supposito voto, nimirum, si prius contrahat, sed firmo animo non consummato matrimonio ingrediendi religionem; vel sine tali animo. Primum pariter censet illicitum P. Sanchez cit. l. i. D. 43. n. 12. etiam in casu, quo Sponsalia jurans nullo voto ad intrandam religionem ligatus est; eò quod talis contractus trahat secum injuriam, ac deceptionem alterius, & se ad id alliget, quod implere nullo modo intendit, sed positivè negare; quæ est magna illusio alterius, & quidem scienter intenta; quod non sequitur in casu, quo quis sine tali matrimonio contracto, sed non consummato, Religionem eligit.

Dices. 2. quod quis post jurata Sponsalia licitè faciet, etiam voto promittere potest; sed post jurata Sponsalia, jurans potest licitè contracto prius matrimonio, sed non consummato, religionem eligere; ergo idem post jurata Sponsalia vovere. Resp. majorem in multis fallere. Nam eo casu licitè potest eligere minus bonum, quin id validè voveat, ut aliàs dictum est. Major etiam fallit in casu, quo contraheret animo, contracto, & non consummato matrimonio, statim convolandi ad religionem, ut dictum est n. 248. Denique quando materia voto promissa

I 2

vesti-

vestitur circumstantiâ, ratione cuius evadit malum *agere*, quod secluso voto malum non est, non rectè vovetur, quod secluso voto licet. Sic conjuges utentes jure thori, licitè, si volunt, abstinere à copulâ; & tamen non rectè vovent, non uti copulâ, in circumstantiâ, quod simul dormiant, propter periculum violandi votum.

251. Dices. 3. qui post jurata Sponsalia vovit religionem ingredi, prius contracto, sed non consummato matrimonio, potest utramque obligationem implere; *Sponsalium*, contracto matrimonio; *voti*, non consummato matrimonio religionem intrando: ergo totum validè, ac licitè fieri potest. Resp. N. ant. Nam si matrimonium contrahat firmo animo, eo non consummato Religionem ingrediendi, exponit se periculo mutandi animum, & violandi votum, ut dictum est; quod à fortiori contingit, si contrahat sine tali animo, & si ingrediatur, illud Sponsæ promittit, quod statuit *non servare*; & multis mulierem damnis exponit.

252. Dices. 4. jurans in tali casu, utitur jure suo: ergo post jurata Sponsalia potest vovere ingressum religionis, & contracto, non consummato matrimonio, licitè religionem ingredi. Resp. non sequi, quòd quis non faciat alteri injuriam ex hoc, quia utitur jure suo, ut fuscè ostensum est in tract. Theol. de Jure & Jus. q. 1. & ideo etiam talis usus illicitus est; præsertim, cum quis exponit se periculo, per talem usum, violandi aliam etiam obligationem, v. g. *voti*: at in dato casu talis usus sic fieret, ut dictum est in præmissis: Ergo.

253. Dices. 5. ubi actus ex se non est contra justitiam, animus, quo fit, nullam irrogat injuriam, sed ingredi Religionem post matrimonium ratum tantum, non est contra justitiam; ergo nec contrahere eo animo. Confirmatur: quia aliàs eum, qui sic contraxit, deberemus obligare, ne postea ingrediatur, ut evitet injuriam, quam machinatus est. Resp. verum esse, quòd animus, quo fit actus, nullam irroget injuriam, quando actus ex se non est contra justitiam; at religionem ingredi post matrimonium eo animo, ut illo non consummato fiat ingressus, est ex se injuria, nisi Sponsæ prius talis animus manifestetur, aut urgeat necessitas sic con-

trahendi; cum apertè decipiat Sponsam, & intendat, non servare, quod promittit; ergo tali casu contracto matrimonio, & ingrediendo religionem Sponsæ facit injuriam, saltem latè, quia foret saltem contra charitatem talis deceptio positivè intenta. Hinc omnino suspendenda esset voti obligatio, dum satisfaceret parti deceptæ; ex quo patet ad Confirmationem.

Dixi: *nisi urgeat necessitas sic contrahendi*. Nam quando, nisi quis contrahat, adest probabile periculum, aut justus metus de jactura propriæ famæ, aut magni scandali, vel, si non posset alio modo votum, vel juramentum implere, nisi contracto prius matrimonio (ut si quis teneretur inclusus) habens votum religionis ingrediendæ cum Sponsalibus juratis, prius contrahere, & matrimonio non consummato votum implere posset, quòd mala ceteroquin securum præponderantoria sint iis, quæ seclusâ tali necessitate, in casu voti religionis cum jurata Sponsalium obligatione, ex ingressu religionis post matrimonium ratum tantum sequerentur; ita Sanchez. l. 1. *bie D. 43. n. 8.*

## §. 5.

*An Sponsalia de futuro dissolvantur per subsequens votum castitatis?*

Loquimur. 1. de casu, quo sola Sponsalia concurrunt sine læsione pudoris, famæ. &c. 2. de voto castitatis non constituyente in statu religionis, seu vitæ cum obligatione, quod requirit, ut votum constituat statum, teste. D. Thom. 2. 2. q. 183. a. 1. quibus præmissis. Quæstio est 1. an solvantur ex parte non Vovens. 2. ex parte Vovens? affirmativam pro utroque casu sequitur Tannerus *tom. 4. D. 8. q. 1. d. 4. n. 54.* sed contrarium tenet Layman. l. 5. *tr. 10. p. 1. c. 2. n. 6.* his notatis.

Ad. 1. Resp. tali casu Sponsalia solvi ex parte non vovens; quia sic vovens tacitè renunciat obligationi, quâ ipsi tenebatur Sponsa, pars non vovens. 2. quia sic in vovente supervenit notabilis mutatio statûs perpetuò servandæ continentia, in suppositione voti validè emissi; præterquam, quòd tali casu vovens sibi reddiderit

dedit illi iuramentum, contrahere matrimonium, statim tali voto.

257. Ad 2. Resp. negativè 1. quia nullo iure habetur per simplex vorum continentia (extra religionem) Sponsalia dissolvi, nec illis Sponsalibus tacitè inesse conditionem, si non elegero vitam cælibem; 2. quia votum, quod fit in præiudicium tertii, DEUS non acceptat. 3. quia, si tale votum solveret Sponsalia, mulier, quæ in causa fuerat, ne sequeretur matrimonium Sponsalibus promissum, & deinde (ut se à Sponsalibus eximeret) vovit continentiam, non rectè diceretur, priori Sponso *fidem mentita, non implendo Sponsalia*, cuius tamen oppositum habetur in c. *Veniens. 5. Qui Clerici, vel Voventes*, ubi Alexander III. ad casum propositum: quod mulier Sponsalibus de futuro cum viro absente contractis, audiens deinde plura de severitate illius rei nolens copulari, ac timens, ne illi nubere cogereur, in manibus Eremitæ votum continentia promiserit, non tamen mutatis loco, & veste; quo audito Vir aliam sibi copulavit: sic respondit: *nos itaq; attendentes, tutius esse, ut præfata mulier, post fidem, & votum simpliciter oblatum matrimonium contrahat, quam fornicationis reatum incurrat: mandamus, quatenus, si plus non processit, sibi de fide mentita, & voto violato, congruam satisfactionem indicas, & ei, cui vult, nubendi in Domino licentiam tribuere non postponas.*

258. Dices. 1. hoc casu, qui ponitur in cit. c. *Veniens*, dictæ mulieri statuitur injungenda poenitentia *de voto violato*, hoc est (ut ait gloss. *V. voto*) de animo violandi votum; ergo hoc Sponsalibus prævalet; aliàs, si validum non fuisset, non violasset votum. Resp. votum in præfenti casu non fuisse invalidum relatè ad eos, in quorum præiudicium non erat; hinc omnino rea fuit mulier, quod *simpliciter emisso continentia voto* in præiudicium Sponsalium (non autem aliorum, cum quibus Sponsalia non habuerat) fide mentitâ Sponso, quæsi verit alteri nubere. Prævaluit ergo votum Sponsalibus contrahendis *cum aliis*, quibus tamen non dedit fidem, sed dare cupiebat; non autem contractis, ante votum.

259. Dices. 2. qui promissum in melius commutat, professionem non violat; ut

dicitur in c. *Pervenit, de iurejurand.* elige 2. ergo qui matrimonium alteri promissum commutat in vitam cælibem vel continentiam ex voto simplici servandam in seculo, promissionem Sponsalium non violat. Resp. transmittendo aut. si commutatio fiat sine præiudicio alterius, aut in melius privilegiatum, quale est *votum religionis*, non autem *castitatis*. Nam illa regula non procedit absque consensu expresso, vel tacito hominis, cui facta est promissio, ut notat Barbof. in cit. c. *Pervenit n. 2.* sed de promissione DEO facta in ejus honorem; qui, cum sit Creditor, potest rem meliorem acceptare; quod tamen non stat, ubi præiudicium est tertii.

Dices. 3. ubi concurrunt duo vincula incompatibilia, & valida, fortius prævalet, ex c. *si inter desponsal.* at vinculum voti castitatis est incompatible cum Sponsalibus, & est vinculum fortius, quam Sponsalia; hæc enim obligant solum homini, illud DEO, & ambo tantum ex fidelitate: ergo votum Sponsalibus prævalet. Resp. hoc casu votum castitatis, emissum in præiudicium alterius ex Sponsis, invalidum esse, ut dictum est relatè ad Sponsam; consequenter non haberi casum, de quo præcedit objectio; esse tamen validum quoad alios, in quorum præiudicium non cedit; atque ad eò respectu illorum prævalere votum Sponsalibus contrahendis; non autem ante illud validè contractis. Hinc, qui post Sponsalia validè contracta emisit simplex votum continentia, non tenetur religionem ingredi, vel sacros ordines suscipere; cum obstat ei obligatio Sponsalibus nata, quæ per tale vorum dissoluta non est; aliunde neutrum eo voto promissum.

Licet autem tale votum non valeat in præiudicium alterius ex Sponsis, valet tamen in præiudicium voventis, ut non possit licitè cum alia inire Sponsalia, vel matrimonium; quia quoad hoc non est contra fidem alteri obligatam; consequenter non continet præiudicium tertii, ut in altero casu. Hinc ejusmodi voventis in dato casu licitè inire matrimonium cum ea, cui ante votum fidem dedit; quia in hujus præiudicium se non obligavit, aut validè obligare potuit. Eo tamen casu, quo

quo vovens cum ea, cui prius dedit fidem ineundi matrimonium, contraxit, licet quidem reddet, non tamen petet debitum. Quia cum votum non valeat in præjudicium alterius, sed tantum voventis; faciendo primum, non agit contra obligationem voti; secus, agendo secundum. Poterit tamen vovens in hoc casu religionem ingredi, si velit; quia sic non agit contra obligationem Sponsalium, ex dictis; & si alter Sponsorum ei renitteret obligationem Sponsalium, posset in seculo manere, ducendo vitam continentem juxta voti exigentiam; hoc enim, ut ponit casus, plus non petit, quam observantiam castitatis.

## §. 6.

*An Sponsalia de futuro dissolvantur per posteriora Sponsalia de presenti cum alio?*

262. Resp. solvi ex parte non violentis datam fidem; per c. *fm. 27. q. 2. c. si inter, de sponsal. ibi: si inter ipsos accessit tantummodo promissio de futuro, alius autem mulierem illam per verba de presenti desponsaverit, hujusmodi desponsationis intuitu, secundum matrimonium non poterit separari.* Et c. *1. de sponsa duorum, ibi: si aliquis mulieri fidem fecerit pactionis (seu, quod eam ducet, ut habetur ibidem §. est autem) non debet aliam ducere: si autem duxerit, maneat cum illa, quam duxit.* Ex quo deducitur, Sponsalia de futuro, quantumvis jurata, dissolvi per subsequens matrimonium cum alio, ut dicitur in cit. c. *si inter, ibi: etiam si inter ipsum & primam juramentum intervererit de futuro.*

263. Not. tamen, cum dicimus, per subsequens matrimonium dissolvi Sponsalia de futuro, prius cum alio contracta, debere intelligi, de matrimonio *valido*. Quia, quod de jure non habet effectum, non præstat impedimentum. c. *Non præstat, de Reg. juris in 6.* hinc in vigore suo adhuc persistere priora Sponsalia ex parte illius, qui primæ Sponsæ fidem violavit, ne ex dolo commodum, seu lucrum referat. Ut autem Sponsa de futuro liberetur ab obligatione de Sponsalium in casu, quo Sponsus cum alia contrahit de præsentis, sufficit talis contractus etiam invalidus. Nam in tali casu de præsentis contrahens cum

alia, saltem tacite renuntiat priori Sponsæ; & per tale matrimonium contractum de facto, licet non de jure, sufficienter ostendit, se non curare fidem illi datam; quo sic deserta iustam habet causam, mutandi animum.

Dubitatur autem, an per subsequens matrimonium cum alia valide contractum, priora Sponsalia de futuro dissolvantur omnino, etiam ex parte hujus, qui fidem datam primæ Sponsæ violavit cum alio matrimonio contrahendo, vel solum suspendantur sic, ut, soluto hoc matrimonio, violator teneatur ad priora Sponsalia, si innocens velit? solvi omnino, tenet P. Sanchez l. 1. hinc D. 48. n. 3. Barb. in cit. c. 1. n. 2. ubi sic loquitur: cum matrimonium fortius vinculum sit, si illud validum fuit, *venit dubium est, priora Sponsalia solvi eo modo, ut soluto matrimonio nulla, ea perficiendi, obligatio supersit.* Secundam vero partem, nimirum non solvi ex ejus parte, qui datam fidem violavit, probabilior tenet Castropal. de spons. D. 1. p. 21. n. 4. Coninck. hinc D. 23. d. 4. n. 32. 1. quia matrimonium cum alio contractum, contra fidem priorum Sponsalium, nec jure naturali, nec positivo, habet vim extinguendi obligationem contrahentis: non ex jure naturali; quia tale matrimonium ex natura rei consistere potest cum obligatione contrahendi matrimonium cum prima, soluto matrimonio cum secunda; quamvis eo durante suspendatur quoad executionem; non etiam jure positivo; quia in allatis juribus nunquam dicitur, Sponsalia priora omnino extinguuntur; sed solum, eum, qui sic contraxit cum secunda, debere manere cum ista, nimirum quamdiu hæc vivit; cum quo stat obligatio præstandi promissum primæ, si secundamorte sublata sit, vel aliter, soluto matrimonio.

Secundò, quia votum religionis suspenditur durante matrimonio contra illud contracto sic, ut vovens soluto matrimonio teneatur, religionem ingredi, si aptus inveniat. Nec obstat, quòd vinculum voti, & vinculum matrimonii, sint vincula diversæ rationis. Nam. 1. quòd vinculum fortius, concurrans cum alio, id solvat, non oritur ex eo, quòd sint vincula ejusdem rationis; cum idem contingat etiam, quando sunt diversæ rationis,

nis, aut quando sunt respectu diverforum. Primum probatur in casu, quo concurrunt duo precepta impossibilia; *unum, naturale, alterum, humanum*: ubi hoc illi cedere debet, esto sint vincula diversæ rationis; ut si charitas in gravi necessitate proximi urgeat, dum esset audiendum, sacrum, dicendæ horæ canonicæ, &c. Deinde in casu, quo equum Cajo promissum Titio tradis accepto pretio, teneris equum tradere Cajo, si eundem à Titio redimas, vel alio modo legitime recipias; & tamen utrumque vinculum est ejusdem rationis (nimirum justitiæ) quin per posterius extinguatur prius, licet illud isto fortius sit, quia sunt respectu diverforum; & per hoc, quod primum remaneat cum secundo, secundo Creditori nihil detrahatur; detraheretur autem, si extingueretur: at sic contingit in nostro casu; Ergo.

166. Hinc quando dicitur, quod obligatio, semel extincta, non reviviscat, ut habetur in c. *Queris*, Dist. 4. de *Consecrat.* & L. *Qui res S. Arcam ff. de solutionibus*: item quod obligatio fortior superveniens (nimirum professio in ordine laxiori) obligationem priorem (nempe votum simplex intrandi strictiorem) licet ejusdem rationis, extinguat, ex c. *qui post. s. de Regularibus in 6.* Resp. concedendo, non reviviscere obligationem semel extinctam; sed obligationem Sponsalium, ex eo, quod una pars de presenti contrahat cum alia, non probatur ullo jure extinctam esse, ut ostensum est. Quare negatur suppositum. Quod autem votum, ingrediendi strictiorem religionem, extinguatur facta professione in laxiori, habetur apertè ex dispositione juris positivi, in cit. c. *Qui post.* ubi hoc tribuitur *solemnitati votorum* laxioris religionis professæ; eam autem solemnitatem esse tantum juris positivi Ecclesiastici, apertè decisum est c. *Unico de Voto in 6.* sic Barbofa *ibid. n. 3.* & communis.

267. Deinde à professione, in laxiori ordine, solvente simplex votum ineundi strictiorem, non rectè concluditur etiam per matrimonium cum alia solvi fidem prius datam alteri per Sponsalia de futuro. 1. Quia professus nunquam liberatur à secundo vinculo, nisi morte propria: Sponsus autem liberari potest à secundo vin-

culo morte Uxoris, ipso superstite. 2. quia in secundo casu, per commodum, quod fit per matrimonium cum secunda, damnificatur prima; in primo autem casu, loco voti simplicis, redditur DEO professio; quia, licet sit laxioris status, continet majorem cultum DEI, quàm præcisè ingressus in strictiorem, & ejus votum simplex.

## S. 7.

*An Sponsalia de futuro dissolvantur per alia subsequencia pariter de futuro?*

Quæstio procedit, si prima Sponsalia sint inita purè, ac legitime; nec ante secunda Sponsalia de futuro cum alio ex alio capite dissoluta; quo posito communis tener primam Sponsam, cui fides in dato casu violatur, liberari; ac, si velit resiliere, posse; de sponso autem, seu parte violante fidem, responso est negativa; quia secunda Sponsalia, cum sint contra fidem datam primæ, sunt iniqua, & de re illicita, adeoque irrita, & nulla. ita communis.

Not. autem conclusionem procedere, licet secunda Sponsalia forent jurata. Nam etiam in tali casu Sponsalia nullius valoris sunt; cum sint de re iniqua, & contra jus quæsitum primæ Sponsæ. Coll. ex c. *Quamvis pactum, de pactis in 6.* ubi dicitur, *juramentum pacto appositum* (quo filia renunciavit paternis bonis accepta dote) *servandum est, cum non redundat in alterius detrimentum*: ergo ubi redundat in alterius detrimentum, servanda obligatio non est; ne juramentum sit vinculum iniquitatis, constringens ad id, quod licet fieri non potest. Idem habetur in c. *cum contingat. 28. de Jurejurando*, ibi: *servari debent hujusmodi juramenta; cum in alterius præjudicium non redundent.*

Dices: tota ratio in præsentem, ob quam non teneret juramentum appositum secundis Sponsalibus contra fidem datam alteri, est ex eo, quod ubi non tener principale; nec teneat accessorium; sed hoc fallit in aliis casibus, ergo & in præsentem. Min. pat. ex c. *Debitores 6. de Jurejurand.* ubi dicitur: *eum, qui se obligavit, ad usuras solvendas, solvere non cogendum, nisi juraverit.* ubi gloss. V. *Cogi non debet*, ait, & sic

& sic putat, quòd, licet non teneat principale, teneat tamen accessorium. Deinde in cit. c. Cum contingat, habes, quòd juramentum præstitum super actu, à lege infirmato principaliter favore jurantis, necessario sit observandum: ergo valet juramentum, licet non valeat principale, seu actus, cui adjicitur.

270. Resp. quandoque actus, cui roborando accedit juramentum, est de re iniqua, & illicita jure naturali, vel divino, nec actum, nec juramentum valere; c. Quanto, de Jurejurand. sic enim jurans manifestè obligaretur ad peccatum; contrahere autem cum secunda, contra fidem datam primæ, est res iniqua, & illicita jure naturali, & divino: ergo sicut non valent secunda Sponsalia, sic nec valet juramentum illis accessorium. Deinde certum videtur, non tenere juramentum accessorium, ubi nullo jure tenet principale; sed in dato casu secunda Sponsalia nullo jure tenent; ergo nec juramentum. Accedit, quòd neque tunc juramentum, licetè servari (consequentè valere) possit, quando contra Canonica statuta, illicitis passionibus informatur, ut expressè dicitur in c. Cum contingat. 13. de foro competente.

Quare datâ majori. N. min. Nam clari juris est, ut ait glossa in cit. c. Cum contingat, quòd, si contractus non tenet, vel pactum, juramentum de observando ipsum contractum, vel pactum, non teneat, neque obliget, ut etiam dicitur L. non dubium C. de Legib. Nam juramentum non est vinculum iniquitatis. c. Cum inter cetera. 22. q. 4. & c. Quanto, de Jurejurand. quòd saltem verum est, quando pactum, servari non potest sine peccato, prout contingit in præsentì. Hinc,

271. Ad c. Debitores. Resp. cum gloss. ibid. V. Reddere juramentum; Cum in eo casu, aliquo modo licetè observabile sit juramentum (nam solvere usuras, non est peccatum, aliàs qui jurarunt se soluturos, non compellerentur c. si peccatum. 22. q. 1. licet peccet, qui eas recipit) non est mirum, quòd jurans, solvere debeat, licet alter sine peccato non recipiat, cum fieri possit, quòd in eodem facto unus peccet, alter non, ut notat ibid. gl. cit. ex c. Proposito 32. q. 5. Nam mulier violentè oppressa, toto animo renitens, non peccat pec-

cante oppressore. Deinde valdè probabile est, in eo casu, usuras non esse solvendas ex obligatione, saltem absolute; nec ad hoc cogendum, nisi solùm ex suppositione, quòd non petat solvi à juramento, ut not. gloss. V. cogendi sunt, nimirum vel non agendo contra Creditorem, ut à juramento, solvendi usuras, Debitorem liberet, eas non exigendo; vel non opponendo exceptionem injustitiæ, quam Creditor exigendo facit; licet oppositum teneat Pirhing. de Jurejurand. n. 64. volens ante solutionem Debitori non competere actionem, vel exceptionem, sed immeritò, cum clara sit injustitia Creditoris in exigendo. Quare in dato casu non probatur, valere Sponsalia secunda in vim juramenti, est non valeant in vim contractus.

Sed nec probatur, simpliciter valere juramentum præstitum super actu, à lege infirmato. i. si actus est nullus jure naturali, vel divino, ut constat ex dictis, deinde, cum est nullus jure Canonico, non innitente præsumptioni falsæ, ut supra ostensum est. Denique etiam in casu, quo est nullus jure civili directè ac principaliter bonum commune respiciente, ex communi regula, quòd cadente principali corruat etiam accessorium. Neque hoc infringitur ex eo, quòd dicitur in c. Cum contingat. Nam ibi nullitas consensus, quam præstat mulier in alienationem rerum dotalium, jure civili inducta est principaliter in favorem mulierum, cui favori renunciare præsumitur, quando contra favorem sibi concessum, consensum suum roborat per appositum juramentum. Unde sic potius est per se stans, quàm accedens actui, lege infirmato, ut bene in simili notat Pirhing. de jurejurand. n. 64. in fin.

### §. 8.

An, qui post prima Sponsalia contraxit de futuro cum alia, obligetur ex his, si prima cessent?

Affirmativam sequitur Rebellus l. 4. 273. q. 8. f. 8. concl. 4. & alii. Quia Sponsalia, relata in tempus, quo priora Sponsalia soluta sunt, non continent promissionem rei illicitæ, nec sunt contra datam fidem primæ. Hoc existimo verum, si con-

contractus secundus expressè promissionem suam referat in tempus, quo non extat obligatio primorum Sponsalium; secus, si contrahat purè. Nam tunc non tenetur, durante valore primorum Sponsalium, ut per se patet; non etiam eo sublato, quia promissio illa absoluta, dum facta est, fuit nulla; & sublato valore primorum Sponsalium, eadem est: ergo sicut prius, ita nec post, ex illis obligatur. Aliàs invalidè Religionem professus, ob defectum ætatis; aut invalidè ordinatus ex defectu necessariæ dispositionis, cessante tali defectu, ex vi talis professionis teneretur ad Religionem, aut ex vi prioris absolutæ ordinationis maneretur ordinatus; ita Castropal. *de spons. D. 1. p. 22. n. 4.* Sanchez *l. 1. hic D. 50. n. 6.* & alii.

274. Dices: licet conjugatus, in præjudicium Uxoris professus, vi talis professionis non obligetur ad Religionem, ac in præjudicium Uxoris; tamen obligatur in suum præjudicium, ad non petendum debitum; & soluto matrimonio, ad servandam castitatem, ut dicitur in c. *Quidam, de Convers. Conjugat.* ergo similiter valebunt posteriora Sponsalia, in quantum non redundant in præjudicium priorum, ut nimirum solutis ex iusta causa prioribus, teneatur, in vi posteriorum. Resp. dato ant. N. conseq. quia professus statim in principio poterat se obligare ad non petendum debitum, & servandam castitatem sine præjudicio Uxoris; & voluisse obligare se sic præsumitur, ut si non valeret, ut professio; valeret, ut votum: si tamen hæc præsumptio in re falsa foret, in foro conscientie non haberet locum ea dispositio c. *Quidam*; at quòd Sponsus in contractu Sponsalium posteriorum similiter voluerit se obligare in præjudicium, non habetur ex ulla juris præsumptione; nec, obice valoris sublato, actus in principio nullus, tractu temporis convaluit; Ergo.

275. Si autem quæras, an, si posterioribus Sponsalibus accedat copula, priora censentur soluta ex parte utriusque? supponimus, non esse sermonem de secundis Sponsalibus, contra fidem priorum in casu, quo Sponsalia, securà inter Sponsos affectu maritali copulà transibant in matrimonium præsumptum jure veteri

Tom. IV.

juxta c. *Is, qui fidem, de sponsal.* tali enim casu concedimus, juxta diversas sententias (de quibus infra) vel suspendi, vel dissolvi prima, ubi non viget decretum Tridentini *Sess. 24. de matrim. c. 1.* Deinde, non esse sic sermonem de secundis Sponsalibus post prima contractis, & consummatis cum consanguinea primæ Sponsæ in primo gradu; nam in hoc casu solverentur prima propter supervenientem affinitatem ex copula cum dicta primæ consanguinea in primo gradu; his præmissis: ad quæstionem in titulo propositam, affirmativè respondet Castropalaus, *cit. n. 6.* cum Rebello, Coninch, Pontio, & aliis *ibid. cit.* Verùm si velint, ipso facto, priora manere soluta ex parte utriusque in dato casu, probabilior videretur negativa, ut tenet Sanchez *l. 1. hic D. 49. n. 5.* & alii. Nam secunda, per copulam secutam, nec vi promissionis, nec vi damni secundæ facti, vim habent, solvendi Sponsalia priora, & primæ Sponsæ auferendi jus suum. *Non vi promissionis*, quæ ponitur irrita, & nulla: *non vi damni*, nam hoc, esto exigat compensationem, non exigit tamen eam, *determinatè per matrimonium*, cum sufficienter alià vià compensari potest, ut dictum est suprà.

Dices: per copulam animo maritali factam, spe futuri matrimonii, sit anticipata quædam traditio, quæ jure antiquo, præsumptione juris de jure, inducebat matrimonium; ergo videretur sufficiens, post Tridentinum, ad solvenda priora Sponsalia de futuro. 2. Quia secunda venditio cum traditione facta, prævalet venditioni primæ sine traditione, juxta *L. 15. C. de rei vindic.* 3. quando concurrunt duæ obligationes, una de lucro capiendi, altera de damno vitando; aut, duo tituli, unus lucrativus, alter onerosus, posterior priori prævalet; at in dato casu sic contingit. Nam prima Sponsa solùm perdit lucrum, nempe matrimonium liberaliter promissum; secunda verò subit damnum ex defectu matrimonii onerosè promissi, cum jactura pudoris, & statûs prioris.

Verùm inter contractum Sponsalium, & matrimonii, atque contractum emptio-  
nis, & venditionis, magnum est discrimen; ille enim perficitur solo consensu; hic autem, solùm re, ac traditione, in  
quan-

K

quantum Emptori constituit jus in re. Hinc Resp. ad 1. trans. ant. Nam in re fallit, quod ea copula sit quædam traditio juridica (nimirum perficiens contractum) & jure antiquo induxerit matrimonium in re; quia solum fundabat præsumptionem affectus maritalis, quo inducitur matrimonium. N. conseq. Nam Sponsalia, omni jure nulla, per hoc, quod illis accedat copula, nec jure naturali, nec positivo vim habent primæ Sponsæ auferendi jus suum, legitimè quæsitum; imò, esto valeret respectu secundæ, per hoc non extinguerent, sed solum suspenderent jus primæ Sponsæ, ut dictum est n. 264.

278. Ad 2. Resp. negando paritatem à secunda venditione ad secunda Sponsalia. 1. quia secunda venditio cum traditione prævalet contra primam sine traditione, quia illa est contractus perfectus, & jure approbatus; non ista, ut notatum est; at secunda Sponsalia, contra prima, non sunt contractus perfectus, sed nullus, secus prima; ergo? Deinde secunda venditio non tollit, nec extinguit jus primi venditoris, ut diximus n. 265. sed solum suspendit; ergo nec secunda Sponsalia, quantumvis consummata per copulam, tollunt, aut extinguunt jus primæ Sponsæ; imò nec suspendunt, cum destituantur valore, & perfectione contractus, quam habet secunda venditio perfecta, cujus intuitu suspenditur jus primi venditoris.

279. Ad 3. dico, si comparantur obligationes, quæ sint ex vi Sponsalium, primam (licet ponatur solum esse de capiendo lucro) non extingui per secundam, quantumvis onerosam. Nam hæc secunda irrita est, & nulla; non entis autem nullus est effectus: si verò comparatur obligatio primorum Sponsalium, cum obligatione reparandi damnum, compensari potest justâ dote, aut alio modo. Nam quoties quis extinguere potest debitum hoc, vel illo modo, ad neutrum tenetur determinatè. Dixi: ubi damnum compensari potest justâ dote, aut alio modo; si enim non potest, & persona deflorata (præsertim honestæ conditionis & boni cæteroquin nominis) subiret magnam infamiam, aut aliud grave damnum, lex charitatis exigeret, ut prima juri suo

(determinatè quoad matrimonium contrahendum) cederet, nullo, vel modico suo damno; imò sæpè lucro, quod liberetur à tam fallaci, ac inconstantis fidei Sponso.

## §. 9.

*An Sponsalia conditionata solvantur per posteriora purè celebrata?*

Loquimur hîc de Sponsalibus sub conditione propriè dicta, quæ nimirum est suspensiva obligationis in eventum futurum, eaque tali, quæ nec vitiet contractum, nec ei apposita vitietur, qualis esset, si duo impediti impedimento dirimenti, in quo Pontifex allatâ sufficienti causâ (v. g. propter angustiam loci, vel dotis incompetentiam &c.) regulariter dispensat, sub conditione (*si Pontifex dispensaverit*) de futuro contraherent. Not. autem, dubitari inter Authores, an quilibet horum contrahentium licitè resiliere possit ante conditionis eventum? Prima sententia (quam apud Sanchez l. 5. hîc D. 5. n. 5. sequuntur complures) affirmat; ex eo, quod ejusmodi contractus sit nullus ex adjecta conditione, quam reputant impossibilem de jure; sed cum his agendum erit infra tit. 5. ubi contrarium dicemus, & hîc supponimus: secunda pariter affirmat, contractum in hoc casu validum quidem, adhuc tamen cui libet resiliere licitum esse, non tantum ante, sed etiam post conditionis eventum, nisi, hoc posito, innovetur, aut ratificetur consensus prior, ductâ paritate à Sponsalibus impuberum, quæ licet valida sint, & obligatoria, revocari tamen possunt, utroque pubere factò. Sic Gutierrez l. 1. Canon. qq. c. 22. à n. 17. & de matr. c. 78. à n. 1. sed paritas non rectè assumitur. Nam facultas Sponsalibus impuberum indulta, ut adeptâ pubertate resiliere liceat à Sponsalibus in impubertate contractis, non est ex natura rei, sed juris favore, intuitu ætatis, quod Sponsalibus, sub conditione initis, concessum esse, nullo jure probatur.

Tertia tamen probabilior est, quæ negat illis, in dato casu, licitum esse, invito altero, resiliere, vel ante conditionis eventum, vel post. Quia contrahentes sub conditione, de qua loquimur, sibi obli-

obligantur ad rem promissam dependentem à conditione; hoc autem fieri non possit, si pro libitu, vel pendente, vel purificata conditione, resiliere possent; ergo; & ita docent Sanchez *cit. n. 13.* Castropal. *D. 1. de sponsal. p. 16. n. 10.* & alii. quod confirmatur. 1. quia licet talis conditio Sponsalibus expressè adjecta, suspendat contractum, ut ante conditionis eventum non sit obligatio *prestandi* absolute, super quo *prestando* sub ea conditione conventum est, ut dicitur *L. Cedere diem, ff. de V. S.* cedit tamen, seu inducit statim obligationem absolutam expectandi conditionis eventum, & standi factæ pactioni, posita conditione; & ne conditione pendente liceat pœnitere, seu pro libitu recedere; sic accipitur conditio *L. usus fructus ff. de stipulationibus servorum*, ibi: *ex presenti die vires accipit*, nimirum, ne pœnitere liceat; non autem, ut ex presenti res præstetur. Confirm. 2. posita solâ conditione, prior conditionalis consensus transit in absolutum, & evadit purus, & absolute obligat; ergo pendente conditione obligat sub conditione: conditionalis autem obligatio non relinquit sic obligato libertatem, ante conditionis eventum pœnitendi; aliàs enim nihil operaretur, nisi stringeret ad eventum ejus expectandum, ac illâ posita, *prestandum* promissum.

282. Dices. 1. conditio, proprie dicta, suspendit obligationem contractûs; ergo antequam ea veniat, contrahens cum tali conditione, hæc pendente, pœnitendo non agit contra obligationem; ergo tunc licitè resilit. Resp. quod ea conditio *suspendat* quidem obligationem *prestandi* rem promissam; sed non *expectandi* conditionis eventum, aut non pœnitendi. Hinc esto ante conditionis eventum resiliens non agat contra primam, cum tantum conditionata sit; agit tamen contra secundam obligationem, utpote puram & absolutam.

283. Dices. 2. ergo Sponsi manent sic ligati, ut, cum alio non possint licitè contrahere Sponsalia de futuro pendente conditione de futuro; hoc autem est minus durum, cum quandoque in longum tempus resolutio dispensationis protrahatur. Resp. si sibi mutuo non remittant obligationem expectandi, conditionis eventum, te-

Tom. IV.

neri expectare, dum vel impotent, vel repulsam habeant, modò cunctatio non fiat alterius culpâ, vel, resolutio non protrahatur ad tempus ultra communem usum in ejusmodi eventibus *prestandis*. Unde si contingat resolutio negativa, resiliere poterunt, esto fortasse mediis extraordinariis, aut impensis obtineri possit; his præmissis.

Ad quæstionem propositam in titulo, 284. responso est negativa: si enim alteruter Sponsorum pendente conditione primorum Sponsalium, cum alio, vel alia, purè contraheret Sponsalia, pariter de futuro, ageret contra fidem datam primæ, non *pœnitendi*, dum eveniat, vel resolvatur conditio; consequenter promitteret rem illicitam; ergo secunda Sponsalia, utpote nulla, non dissolverent prima, ex parte contrahentis secunda; esto pars altera, ob illius renuntiationem tacitam, si vellet, libera maneret. Dixi, *si secunda purè contraheret*. Nam si solum in eventum (quod dispensatio cum prima non impetraretur) conferret rem promissam in tempus habile; nihil ageret contra fidem datam primæ; & habitâ repulsâ dispensationis producenda primâ Sponsâ, teneretur secundæ, vi promissionis conditionatæ tunc in absolutam translata purificatâ conditione.

## §. 10.

*An Sponsalia de futuro solvantur  
susceptione, vel voto, suscipiendi  
sacros ordines?*

Ante resolutionem supp. 1. Sponsalia 285. de futuro per subsequentem susceptionem, vel votum suscipiendi tonsuram, aut quatuor minores ordines, non dissolvit ex parte suscipientis, vel voventis. Nam hoc non habet ea susceptio, vel votum, *ex natura rei* (cum etiam susceptis illis licitè, valideque matrimonium contrahatur) *nec etiam jure positivo*; cum contrarium expressè concedatur in *c. si quis eorum, dist. 32.* ibi: *Qui uxorem ducere voluerit, ante ordinem subdiaconatus hoc faciat, & c. 1. de Cleric. Conjugat.* ibi: *si qui Clericorum infra subdiaconatum acceperint uxores, ipsos ad relinquenda beneficia Ecclesiastica, & retinendas uxores distri-*

Etione

K 2

*Etione Ecclesiastica compellatis, & c. Clericus. 6. de vita & honest. ibi: Clericus, si tonsuram dimissa, uxorem acceperit, qui quidem sit sine gradu (nimirum ordinis sacri) nec Monasterio à parentibus traditus, uxorem permittatur habere. Hinc quæ adducuntur in contrarium ex Apostolorum. Can. 27. ubi dicitur (qui ad Clerum proventi sunt, precipimus, ut si voluerint, uxorem accipiant, sed lectores, & Cantores tantummodo) exponenda sunt juxta posteriores Canones, & naturam particulæ taxativæ, cujus est excludere dissimilia, non similia; alii autem duo minores, prioribus, ex eadem ratione, similes sunt. An autem ex parte alterius, Sponsus tonsuram, vel minores ordines suscipiente, aut vovente, solvantur Sponsalia? dubitari potest, cum per hoc non suscipiatur impossibile statim cum matrimonio; & votum, ut diximus, in hoc casu non valeat, emissum in præjudicium Sponsæ. Quia tamen (nisi Sponsus significet, se non agere animo ascendendi ad altiores ordines, & id agat mutuo consensu, contrarium merito præsumitur; nimirum tacite Sponsalibus renunciare: videtur valde probabile, Sponsam in dato casu licite posse rescilire, ac cum alio contrahere.*

286. Supp. 2. susceptioni sacri ordinis annexam esse obligationem, servandi continentiam, & quidem ex voto implicito, eoque solemnizato sacri ordinis susceptione, solemnitate dirimente matrimonium subsequens contrahendum, & probavimus l. 3. tit. 3. de Cleric. Conjugat. & dicemus infra; non autem jam contractum, licet nondum consummatum; cum vis solvendi matrimonium ratum tantum, voto castitatis per professionem solemnizato, competat tantum favore Religionis, propter perfectionem illius status, ut mox dicemus; his præmissis.

287. Resp. I. susceptione sacri ordinis, Sponsalia de futuro, dissolvi ex parte utriusque. Quia quando quis fit inhabilis ad præstandum, quod tenebatur, pro tempore inhabilitatis perseverantis, ad illud præstandum non tenetur; sed qui suscepit sacrum ordinem, contrahendo matrimonio redditur perpetuo inhabilis; ergo materia factæ promissionis ab eo amplius præstari nequit; cum ergo ad im-

possibile non detur obligatio, nec Sponsalium obligatio in dato casu locum habet. Sic Castopal D. 1. de spons. p. 19. n. 1. Contrarium dicendum est, de subsequenti voto suscipiendi sacros ordines; nam per hoc non dissolvuntur Sponsalia, ex parte voventis; secus, ex parte alterius, propter tacitam renuntiationem, quam, quantum est ex se, vovendo subit vovens, eligendo aliquid impossibile cum re promissa per antecedentia Sponsalia. Prior autem pars ex eo patet, quia tale votum est irritum, ac nullum nempe contra fidem datam alteri Sponsorum.

Hoc postremum negat Pontius l. 12. 288. de spons. c. 11. cum aliis, volens, obstructum Sponsalibus, licite suscipere, consequenter licite vovere, sacrorum ordinum susceptionem: sed contrarium probabilius est, ut docet P. Ferdinandus Rebellus l. 4. de Matr. q. 8. Sec. 5. & alii. Quia ratio potissima in contrarium est, quod Sponsalibus de futuro tacite insit conditio (nisi elegero statum matrimonio perfectiorem) sed hoc fallit. Nam nullo jure ordini sacro (consequenter ejus voto) concessum est, Sponsalia dirimere, sicut concessum statui religioso; aliàs sicut iste, sic ille, dirimeret matrimonium ratum, cujus oppositum habetur expressè in Extravag. Antiqua de voto, ubi expressè habetur, votum, per susceptionem ordinis sacri solemnizatum, ad dissolvendum matrimonium prius contractum, etiamsi per carnis copulam non fuerit consummatum, cum nec jure divino, nec per sacros repetiatur canones hoc statutum, invalidum esse censendum. Quare negandum est, Sponsalibus tacite inesse clausulam, sub generalitate; sed solum hac: nisi elegero statum religionis; non autem quemcumque alium, licet matrimonio perfectiorem. Nam ut rectè notat gloss. in c. Unico de voto in 6. V. sacri Ordinis; hanc vim, solvendi Sponsalia, inducit favor religionis, non ordinis; & merito, inquit; quia alia est causa Monachi, alia, clerici ex c. Alia. 16. q. 1. Illi enim mortui sunt mundo. c. placuit. 16. q. 1. non autem Clerici non regulares; unde sicut mors naturalis solveret Sponsalia, sic & ista civilis, quæ illi (quoad hoc) æquiparatur, permittente Canone c. Verum, & c. Ex publico, de Convers. conjugat.

## S. II.

## An Sponsalia de futuro solvantur ob absentiam Sponsi?

329. Quæstioni huic ab Archiepiscopo Pannonitiano propositæ Alexandro III. sic respondit Pontifex de illis, qui præfinito juramento promittunt, se aliquas mulieres ducturos, & postea eis incognitis dimittunt terram, se ad partes alias transferentes: hoc tibi volumus innoscere, quod liberum erit mulieribus ipsi (si non amplius in facto est processum) ad alia se vota transferre, receptâ de perjurio poenitentia, si per eas steterit, quod minus fuerit matrimonium consummatum. Ex quo textu sequitur, Sponsam per hoc, quod Sponsus eâ incognitâ, seu incia cimmittâ terrâ se transferat ad alias partes, sufficientem, ac jure approbatam causam habere, liberè se transferendam ad alia vota; ita P. Thomas Sanchez l. 1. Matr. d. 54. n. 6. Barbosa in dict. c. de illis n. 5. & alii communiter; ubi notandum, liberum dici, quod quis facere potest, alterius licentiâ minimè requisitâ; sic Glossa in Clement. Dudum, de Sepultur. V. Liberè.

330. Ut hæc resolutio rectè intelligatur, not. 1. illam procedere primò, etiam si ea Sponsalia fuerint jurata, ut patet ex textu, ibi: qui præfinito juramento; secundò, si Sponsus dimittat terram, ut alibi in longinquo figat domicilium, non præmissis per hoc in Sponsalibus pacto, aut scientiâ Sponsæ; sic Layman l. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. n. 15. Tertio, si sic abeat, ut ubi moretur, de ipso nihil resciri possit, nec haberi spes proxima de illius reditu; etiam si non abiverit animo mutandi domicilium, aut abeundi in terras longinquas; sic sentire videtur Sanchez cit. n. 12. ubi ly (se ad alias terras transferentes) exponit de diuturnitate absentie, nimirum ubi de proximo Sponsi reditu minimè est spes; quod fieri potest, licet non sit in longinquo. Idem procedit quartò, si Sponsus fiat vagabundus, quin hoc prænoverit Sponsa; sic enim supervenit notabilis mutatio; sic Barbosa cit. n. 4. Dixit se incia, seu non consentiente Sponsâ terram dimittat. Nam si facit ejus consensu, juxta factam conventionem expectare tenetur, Sponsi reditum usque ad termi-

num, ex conventionem præfixum; nisi tempus appositum sit, ut terminus finientis obligationi: quid porrò dicendum sit, si tempus appositum sit solum, ut terminus executionis? constabit ex dicendis infra.

Si autem se in alias terras transtulit consciâ, sed justè contradicente Sponsâ (ut si diutius reditum ejus præstolari deberet cum prudenti periculo, quod interim Sponsus obiret, aut aliud pateretur, spe suâ frustratâ, vel non habendi deinceps opportunitatem parâ connubii, aut subeundi necessitatem respiciendi fortunam meliorem, libera foret ab obligatione. Cùm enim hæc dilatio executionis non sit deducta in pactum, ut ponitur, non tenetur ad eam vi Sponsalium, præsertim cum damno suo; quod, an procedat etiam in casu, quo ex justo impedimento non redit Sponsus, dicemus infra.

Aliqui dicta priori numero limitant, ut non procedant in casu, quo Sponsus in alias terras transferre se cogitur, ex causa necessaria, puta ob ægritudinem, mortem parentum, capiendam hæreditatem, mandatum Principis, vel Reipublicæ &c. Hanc limitationem veram censeo, cùm Sponsus id facit consensu Sponsæ; vel citò rediturus. Sic Canisius in cit. c. de Illis n. 1. Nam si discessit eâ incia, & non consentiente, nec etiam post inquisitionem sciatur citò rediturus (tempore nimirum, quo aliâ executionem habent Sponsalia, non præfixo expressè termino) liberum erit Sponsæ ad alia vota transire, etiam absque consensu, & autoritate alterius. Nam hoc significat dictio liberè juxta gloss. cit. n. 289. in c. Cùm plures de Offic. delegat. V. liberè; promissio quippe matrimonii simpliciter non extendit se ad eventus seculares, ex quibus pars altera teneatur; vel ad longam expectationem, ultra morem; vel inde sibi nascencia detrimenta, cum periculo nec illud obtinendi, quod promissum est. Castropal. cit. n. 1. existimat in casu, quo Sponsus taliter abest, alteri liberum esse ad alia se vota transferre, si absentia fiat, mutato domicilio, volens textum (capituli de Illis) loqui tantum de Sponsis domicilium mutantibus, propter ea verba: terram dimittunt, ad alias se transferentes. Nam qui negotii genera-

gerendi, vel studiorum causa aliò se confert, non propterea censetur *dimittere terram*, juxta L. *clàm possidere. 6. §. qui ad nundinas. ff. de acquirend. vel amittend. poss. ff. & L. 2. C. de Incolis*. Sed esto hoc detur, & consequenter in casu posito Sponsa non liberetur, vi textus in *c. de illis*, sic restricti: liberatur tamen ex ratione in præced. num. insinuata. Deinde, probabilius negatur, eum textum debere solum intelligi de casu *mutati à Sponso domicilii*; cum etiam teste P. Sanchez *cit. n. 12.* exponi quoque non immeritò possit textus, de transferente se aliò cum diuturna absentia, sic ut de proximo Sponsi reditu minimè sit spes.

293. Dices: si Sponsus infcía, vel non consentiente Sponsa discessit, ex causâ discessus necessariâ, Sponsa jure civili tenetur expectare negotii finem, ut dicitur in *L. sepè ff. de spons.* si autem causa sit voluntaria, & honesta, & discessus sit intra provinciam, expectandum ei est biennium. *L. 2. C. de spons.* & triennium, *si extra, L. 2. C. de Repud.* ergo Sponsa propter Sponsi discessum non licet resilire ante termini lege definiti lapsum; patet consequè quia leges civiles (si sint justæ, & nihil contineant contra conscientiam, nec quidquam statuunt in materia, laicorum potestati non subiecta) observandæ sunt, & retinendæ, etiam jure Canonico, in his, quæ jure Canonico statuta non sunt; juxta textum *c. 1. de novi operis nuntiât.* sed Sponsalia sunt solum contractus quidam politicus, & circa terminum expectandi Sponsum, jure Canonico nihil statutum est, nisi ad summum, cum Sponsus abit, *mutato domicilio*; Ergo.

294. P. Sanchez *lib. 1. hic, D. 54. n. 6.* docet, prædictas leges jure Canonico correctas esse in *c. de illis*; ubi absolutè dicitur, mulieribus sic relictis, *esse liberum*, ad alia vota se transferre; quod non statet, si biennio, vel triennio deberent expectare; quod tamen intelligit, si Sponsus abesset sine consensu Sponsæ, id, quod etiam sequitur Barbofa *in cit. c. de illis, n. 5.* Pirhing econtra *de sponsal. n. 49.* censet tanquam probabilius, prædictas leges per *cit. c. de illis*, non esse correctas jure Canonico, eò, quòd sint leges justæ, ac ex *cit. c.* nihil colligi possit de ulla derogatione; id, quod approbat Castropalaus *cit. n. 2.* in

casu, quo discessus sit etiam infcía, vel invitâ Sponsa, sed ex causa necessaria, sine illo, quòd Sponsus domicilium mutet, eò quòd de hoc casu nihil statuat in *c. de illis.* his positis.

Resp. prædictas leges non præfigere 295. Sponsa dictum biennium vel triennium, tanquam terminum, ut propter Sponsi discessum, & abitum expectare debeat, nec prius liberè ad alia vota transire possit, (nam, hoc facere potest jure civili, solo suo dissensu, ut constat ex *L. 1. de spons. relatâ superius*) sed ut id possit, *retentis arrbis, & donatis à Sponso*, quod facere cæteroquin non potest, nisi Sponso culpabiliter renuente Sponsalium executionem, ut dicemus in seq. ex quo patet ad reliqua. Concedo enim, illam ante præfixum à lege terminum propter solam Sponsi absentiam (de qua dictum est) *non posse resilire retentis arrbis*; & in hoc eas leges observandas esse, etiam in foro Canonico; cum quoad hoc jure Canonum nihil statutum sit, adeoq; nec illis derogatum: nego tamen in eo casu *non posse resilire absolutè, & non retentis arrbis*; quia circa hoc leges illæ nihil statuerunt: sic Castropalaus *cit. n. 2.*

Ex hoc videntur conciliari posse dictæ 296. opiniones contrariæ. Nam cum prædictæ leges nihil statuunt *de jure simpliciter solvendi Sponsalia* in dato casu, sed tantum, *de jure lucrandi arrbas, & donata propter nuptias*, ut dictum est; vera est sententia eorum, qui volunt, non esse in hoc correctas à jure Canonico; cum statuunt de re merè temporali, à jure Canonico prætermissa: si verò præcisè agerent de prima parte (nimirum dissolutione obligationis ex Sponsalibus) probabilior est opinio dicentium; eas in hoc corrigi, cum matrimonii causæ fori spiritualis sint *c. Tuam de Ord. cognit. c. causam, Qui filii sint legit. & CC. Trid. Sess. 24. Can. 12.* ac inter causas matrimonii numeratur etiam dissolutio Sponsalium; cum sint aliquid annexivè spirituale ac ordinatum ad sacramentum matrimonii; Ergo.

Dices. 2. ut in casu proposito Sponsa 297. licitè resiliat, debet esse certa, Sponsum non esse de proximo rediturum; sic Abb. *in cit. c. de illis*; ergo non sufficit, quòd non appareat spes reditûs, aut ignoretur, ubi sit? Resp. illam certitudinem requiri, ut pru-

ut prudenter agat in casu, quo liberè, seu *authoritate sua*, resilit; si verò constat etiam post debitam inquisitionem, spem nullam apparere de proximo reditu, nec quidquam resciri possit de illo, sufficere, expectasse consuetum tempus, inter Sponsalia, & matrimonium; cum aliud nec implicitè sit deductum in pactum; quibus præmissis

298. Dubitari potest. 1. an Sponsalia solvantur ob lapsum termini contrahendo matrimonio præfixi? hæc dubitatio sic intelligi potest, ut quæstio sit. 1. an à Sponsalibus liberetur, qui contrahere vult matrimonium, intra terminum, quo communiter Sponsalia impleri solent, altero renuente, licet executioni in contractu Sponsalium à partibus nullum tempus sit præfinitum? ante resolut. not. 1. cum casus ponat, executioni Sponsalium non esse diem certum designatum à partibus, sed considerari solum tempus, quo ex communi usu inter tales impleri Sponsalia solent, probabilius eum liberari, qui finito tali tempore Sponsalia vult implere, si alter renuat, absque ulla legitima causa. Nam ut rectè notat Coninch *D. 23. hic, d. 6. à n. 43.* præsumi non potest, Sponsam se obligasse ad diutius expectandum sine nuptiis, præsertim in tali casu; cum ejusmodi promissiones, ubi aliud non exprimitur quoad obligationem implendi promissum, meritò censentur fieri, prout usus communis, & consuetudo fert. Si autem Sponsus afferat legitimum impedimentum, Sponsæ prius ignoratum, quo Sponsalium executio ultra consuetum illud tempus multum differri deberet, Juxta interpellandus est, ut pro qualitate negotii, & consideratione Sponsæ, illi præfigat terminum, ultra quem non expectare amplius teneatur Sponsa; quia hic à fortiori locum habet præsumptio, de qua prius, Sponsam ad cærendum nuptiis pro tanto tempore, se non obligasse cum suo damno, vel periculo.

299. Dubitari potest. 2. an ipso facto Sponsalia solvantur, si non dantur executioni eo die, qui in ipso Sponsalium contractu designatus est exequendæ executioni? Resp. quòd non; & 1. si justum impedimentum interveniat; tunc enim alteri non datur justa causa resiliendi, nec obligatio contrahendi matrimonium lapsu

termini extincta est; sed solum urgenda. 2. nec in casu, quò minus culpà non gravi, executio non contingit. Nam obligatio in diem non extinguitur, non secutà executione, cum dies venit; sed urgeri potest, ut apud legitimum Judicem figuratur illi terminus, ultra quem, nisi, quod debet, præstet, alter liberetur; ita Coninch *hic D. 23. d. 6. n. 45.* & culpa levis non præbet justam causam solvendi obligationem gravem, qualis est Sponsalium de futuro. Confirm. quia contrahentes Sponsalia cum certo die pro executione designata duplicem obligationem contrahunt. Unam, futuro tempore celebrandi matrimonium; alteram, tali die: at violatio secundæ obligationis non extinguit primam; ergo esto non contrahatur eo die, qui executioni designatus est, non propterea desinit obligatio deinceps contrahendi.

Dubitari potest. 3. an ipso facto solvantur Sponsalia, si non dentur executioni eo die, qui designatus est finiendæ obligationi, nimirum sic, ut nisi fiat executio, ea non duret ulterius. Resp. si unus in tali casu est in mora culpabili, alterum, qui paratus est implere omnino liberari, si velit. Sic habetur in *c. sicut 22. de sponsalibus: nisi forsitan in juramento suo certum terminum, intra quem dictam P. duceret in uxorem, nec per eum stetit, quin ad statutum terminum matrimonium consummaverit.* Et ratio est; quia obligatio contracta ad certum terminum sic, ut intra, non autem ultra illum valitura sit, transacto termino expirat, saltem in eo, per quem non stetit, eam impleri debito tempore; non item in eo, cujus culpà impleta non est, ne lucrum habeat ex dolo, & malitia sua; ita Sanchez. mox citand. n. 6.

Dubitari potest. 4. an solvantur Sponsalia ex parte volentis implere, die finiendæ cæteroquin obligationi designato, si alter justo impedimento tunc implere non possit? negativam docet Sanchez *l. 1. hic D. 53. n. 7.* Nam si justa causa intercedat, is, per quem stat, non impleri tunc Sponsalia; non censetur violasse obligationem in eum diem, etiam *exclusivè* constitutam, nisi deductum sit in pactum, *ex quo-cunque modo contingat*, eo die non fieri nuptias; ergo in tali casu implere volenti non

non licet resiliere. Nam textus in cap. cit. concedens ei, qui vult implere Sponsalia, jus resiliendi, altero non implente, considerat ejus, per quem stat, *culpam*; at ubi est justum impedimentum, non est culpa. 2. Quia, cum non stat per eum, ad quem pertinet, quod minus conditio impleatur, haberi debet perinde, ac si esset impleta, juxta c. *Cum non stat. de Reg. jur. in 6.* & legitime impedito, non currit tempus c. *quia diversitatem, de Concess. prebend.* 3. quia non dicitur *per me stare*, quod aliquid non fiat, quod fieri debebat, quando non fit à me, justè impedito; at in cit. c. *sicut*, volens implere solum eo casu liberatur, *quo per alterum stat, non fieri matrimonium*; ergo.

302. Caterùm, spectato rigore juris, videtur dicendum, paratum, die finiendæ obligationi præfixo, implere Sponsalia, liberari altero non implente etiam ob moram inculpabilem, nisi aliter sit conventum. 1. quia in cit. c. *sicut*, Pontifex indefinitè liberat eum ex Sponsis, *per quem non stat in die præfixo fieri matrimonium*, quin attendat, *an mora*, propter quam ex parte alterius, non impletur, *fiat cum, vel sine culpa*. 2. Quia sive cum, sive sine alterius culpa contingat, *non celebrari nuptias in præfixo termino*, æque damnosum est alteri, nuptias differri; tum quia periculum est, ne postea reperiat commodam occasionem matrimonii; tum quia in eum finem, ne ultra careant nuptiis, restringunt intentionem expectandi; nam aliàs frustra talis terminus apponeretur; ubi enim mora culpabilis est, aliunde licet resiliere parato implere, ut constat: sic Navarr. c. 22. n. 27. Layman. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. n. 17. & alii.

303. Ad 1. rationem in contrarium, concedo in hoc casu à justè impedito non violari obligationem; sed nego jus, quod implere volenti conceditur, in c. *sicut*, in alterius culpa fundari; sic qui ideo renuntia- vit, quia conditio quædam, quæ societas erat coita, ei non præstatur, non tenetur pro socio, arg. L. 14. ff. pro socio; quia consideratur solus defectus conditionis appositæ, *non autem culpa*: at similiter in c. *sicut* consideratur sola non impletio Sponsalium, non autem culpa ejus, qui non implet. Aliud ergo est, licitum esse recessum à Sponsalibus *ob culpam* alte-

rius; aliud, præcisè *ob defectum certæ conditionis*, vel facti sub obligatione positi pro tempore peremptorio; quorum primum, in casu præsentis locum non habet; secus, postremum.

Ad 2. Resp. dictam regulam, *cum non stat*, procedere solum in casibus dispositionis merè lucrativæ, ac liberalis; quia jus tunc mentem gratuitam disponentis benignè interpretatur, ut non censeatur alterum velle privatam effectu dispositionis sub aliqua conditione, quam citra culpam suam is implere nequit; secus autem est in contractibus onerosis, in quorum numero sunt, ex communi usu, Sponsalia. Et sic intelligenda venit. reg. 45. *Imputari non debet*. Nam hæc aliud non vult, quàm quòd pœna conventionalis, vel legalis, illi non debeat imputari, per quem sine sua culpa non est præstitum, quod præstari debebat. Illud porro, quòd affertur ex c. *Quia diversitatem*, aliud non evincit, quàm quòd legitime impedito non currat tempus, ut ex culpa privetur jure sibi quæsito; in dato autem casu justè impeditus non ex culpa, sed ex defectu conditionis constitutæ privatur matrimonio; Ergo.

Ex hoc etiam constat ad 3. Nam, quando à me non fit, quod fieri debebat, per dictas regulas hoc solum sensu dicitur, *tunc per me non stare*, quatenus *ly per me stare* supponit culpam, vel defectum conditionis ad obtinendum juris effectum, ex dispositione gratuita; non ex onerosa.

## §. 12.

*An Sponsalia solvantur ex causa fornicationis?*

Quæstio prima est, an Sponsalia solvantur ex parte innocentis, altero Sponsorum, post contracta Sponsalia, fornicante cum alio, vel alia? Communis doctrina affirmativam tenet ex c. *Quemadmodum 25. de jurejurand.* licet Sponsalia jurata sint. Rationem dat textus, expressè loquens de casu fornicationis; quia alioquin, si hoc non obstante deberet, eam ducere, etiam si post hujusmodi juramentum publica meretrix fieret, teneretur eam ducere in Uxorem, quod est prorsus absurdum. Nam, si post contractum con-

conjugium Vir, propter fornicationem, licet potest Uxorem à sua cohabitatione dimittere: longè fortius ante conjugium celebratum propter eandem causam. Sponsus licet potest in suam cohabitationem non admittere Sponsam: quia turpius ejicitur, quam non admittitur hospes.

306. Dubitatur tamen. 1. an communis illa doctrina comprehendat etiam Sponsam, cum ipsa innocens est? nam textus in cit. c. loquitur solum de *Sponso*, fornicante Sponsa. 2. an in dato casu Sponsalia solvantur ex parte Rei? 3. an resolutio data procedat etiam in casu fornicationis violentæ, præsertim Sponsæ? 4. an etiam per fornicationem Viri omnino invitum? 5. an idem liceat propter commissam fornicationem ante contracta Sponsalia? 6. quid dicendum, si ambo fornicati sint, cum aliis?

307. Ad 1. Resp. etiam liberari Sponsam innocentem, fornicante Sponso; sic Layman. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. à n. 10. & alii. Nam si *Marius* per suum adulterium justam causam præbet innocenti ad divertendum à thoro, & adulterium dimitendi à cohabitatione sua, *Sponsus* etiam per suam fornicationem innocenti justam causam præbet resiliendi à Sponsalibus, seu (ut in citato cap. textus loquitur) non admittendi in cohabitationem suam. Nam honestæ mulieri non parum dedecorosum est fornicario nubere; præsertim, cum justè metuere possit, minus pudicum, & fidelem fore talem Virum, etiam in matrimonio.

308. Ad 2. Resp. non liberari in dato casu Reum, seu nocentem; quia textus in c. *Quemadmodum*, statuens dissolutionem Sponsalium, duntaxat respicit favorem innocentis, non Rei; ne ex iniquitate sua lucrum habeat; & innocens, alterius culpâ, jure sibi quæsito, privetur, ita Sanchez. l. 1. hic D. 55. n. 6. aliàs delictum proprium immunitatem præstaret fornicanti, contra c. 2. de *translat. Prælat.* & quod in favorem innocentis introductum est, in ejus damnum redundaret, contra L. *Quod favore. C. de Legib.*

309. Ad 3. censet Armilla V. *Sponsalia*, n. 12. & Tabiena eod. q. 9. n. 10. Sponsum non liberari in casu, quo Sponsa vi, & sine omni sua culpa, oppressa est: sed contrarium lon-

gè probabilius est, cujus ratio sumitur ex notabili mutatione, propter quam illa est notabiliter vilior, & eam ducenti notabiliter probrosam, quod homines communiter judicent, non fuisse omnino invitam; & regulariter horreant talis personæ conjugium, præsertim cum periculo alienam prolem alendi, pro sua. Sic Sylvester V. *Sponsalia* q. 10. casu 7. cum communi. Nec obstat, si dicas: si Sponsa (vi præcisâ seu absolutâ) cognita sit ab alio, quam à Sponso, culpâ vacat, nec fidem frangit, nec suspecta redditur in futurum; nec talis culpa, etiam conjugatis, dat jus oppressam dimittendi à thoro, & cohabitatione suâ; ergo in dato casu non habet Sponsus jus resiliendi, cum solis his rationibus innitatur textus in c. *Quemadmodum*. Resp. in dicto cap. non afferri solas rationes in objectione propositas; sed etiam illam, *si notabilis mutatio supervenerit, aut quidquam turpius ei acciderit*, cum tale quid eveniens, quamvis contractum non dirimat, impediatur tamen seu absterreat à contrahendo. Ex quo patet disparitas à matrimonio desumpta ad vera Sponsalia de futuro.

Ad 4. affirmativam sequitur gloss. in c. 310. sic quippe. 27. q. 2. sed contrarium tenet communis cum Sanchez cit. n. 8. cujus ratio est, quia Vir culpâ vacat; nec in tali casu femina incurrit aliquam notam, vel damnum aliud. Cæterum, si casus evenire possit, quod Vir per vim præcisam coactus feminam cognoscat, (de quo dubitat Toletus l. 5. *summe* c. 10.) verum esse judico, Sponsæ fornicationem, vi præcisâ extortam, ex pluribus capitibus Sponso magis horrore esse posse, quam è contra; quia tamen etiam mulieri honestæ multa gravia post eum casum accidere possunt, (ludibrium vulgi, quod nubat tali; cum non ita facile constare possit, Virum per vim, & omnino involuntariè inductum esse; deinde periculum vitiatum corporis ex concubitu Sponsi cum muliere, pro tali casu vix honesta, & corporis innoxii) ideo videtur, si mulier reniteretur, in tali casu non esse compellendam ad Sponsalia implenda.

Ad 5. videtur respondendum negativè ex c. *Quemadmodum*, ibi: *si quis juravit, se ducturum aliquam in uxorem, non potest ei fornicationem opponere præcedentem.*

tem, sed subsequentem, ut eam non ducat in uxorem. Sed hoc intelligendum est de fornicatione precedente, non ignorata, ut rectè notat Barbosa in cit. c. n. 8. si enim contrahenti prius cognita fuit, contrahendo cum fornicario, censetur ejus mores approbare. Sic apud eundem Henriquez in summa l. 11. c. 14. n. 7. Sanchez l. 1. hic D. 63. n. 3. Quare rectius respondetur affirmativè, primò; si Sponsus prius ignoravit, Sponsam fuisse corruptam. Nam feminam corruptam ducere, regulariter est Viro ignominiosum. Secundò etiam, si Sponsa prius ignoravit, Sponsum sæpius esse fornicatum (sic enim est periculum ejusdem viti in matrimonio) vel si ex fornicatione haberet prolem. Nam ob hoc difficilius redditur matrimonium; sic Castropalaus de sponsal. D. 1. p. 29. n. 8.

312. Ad 6. respondet Paludanus in 4. dist. 27. p. 1. a. 3. n. 17. tali casu fieri compensationem delictorum, consequenter neutri resiliere concedi: sed P. Sanchez cit. l. hic D. 55. n. 9. negat, fieri compensationem delictorum, quòd fornicatio turpior sit in femina, quàm in Viro; consequenter detrimentum Viri gravius, quàm è contra. Hinc concedit in simili casu, Viro, non autem feminae, resiliere dari. Verùm, cum ad solvenda Sponsalia de futuro, sufficiat minor causa, quàm ad solvendum matrimonium quoad thorum, ut testatur ipse Sanchez. cit. n. 9. in fine: hoc autem solvatur fornicatione Sponsi; ut constat ex c. Quemadmodum cit. quòd utitur hoc argumento, dum innocenti concedit jus divertendi à Sponsalibus propter alterius fornicationem, sufficiet quoque fornicatio Sponsi, ut licitè à Sponsalibus resiliat Sponsa.

313. Quæstio altera est, an, si quis Sponsorum deprehendat, resciat, alterum cum alio, vel aliis, turpiter agere, admittendo tactus, vel oscula impudica, innocenti liceat à Sponsalibus recedere? aliqui affirmant, si hæc admittat Sponsa; non autem, si Sponsus: sic Basil. Pontius l. 17. c. 17. n. 3. & alii; quorum doctrinam etiam tenet Layman. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. sicut tamen, ut etiam procedat in Viro, quando ejusmodi actus turpes sunt frequentes; quòd tunc notent in eo animum, etiam in matrimonio; in alias iri propensum. Et ideo probabilius est,

etiam Sponsæ concedi jus resiliendi, cum in Sponso eos actus deprehendit. Nam hi actus in illo denotant non tantum animum levem, sed etiam licentiosum, ac impudicum, cum periculo minoris in Sponsam amoris etiam contracto matrimonio, quod utriusque sufficit causa, ac honestæ feminae, ut justè mutet animum suum; sic Castropalaus. cit. p. 26. n. 7.

Quæstio. 3. est, an uno Sponsorum in hæresin lapsò, innocenti liceat resiliere? 314. Communis doctorum affirmat cum P. Sanchez cit. n. 3. quòd tamen Castropalaus cit. n. 11. vult esse intelligendum, quando hæretici cohabitatio innocenti foret periculosa; vel ubi talis lapsus infamem reddidit. Verùm communis doctrina, sine his limitationibus, verior est; cum lapsus in hæresin, post Sponsalia contracta, sit valde gravis. Cum ergo animus multò præstantior sit corpore; hujus autem notabilis mutatio, & deformitas superveniens, præstet justam causam alteri, ut licitè recedat à Sponsalibus ex cit. c. Quemadmodum 25. de jurejurand. illa validiorem præstabit innocenti causam Sponsalia dissolvendi. Textus in dicto c. sic habet: quòd, si post hujusmodi juramentum mulier fieret non solum leprosa, sed etiam paralytica, vel oculos, vel nasum amitteret, vel quicquam ei turpius eveniret; nunquid Vir teneretur eam ducere in uxorem? Profectò ductam non posset dimittere; sed nunquid, non ductam, admittere teneretur? quamvis interdum contractum non dirimat, quòd impedit contrahendum.

## §. 13.

An, & quæ notabilis mutatio Sponsalibus superveniens, illis dissolvendis sufficiat?

Ex cit. c. Quemadmodum. 25. de jurejurand. constat, quando Sponsalibus de futuro supervenit notabilis factus, ea (licet jurata sint) licitè dissolvi ab altero, illam non patiente; quia promissio etiam jurata, intelligitur rebus in eodem statu permanentibus. Et ideo in præsentia materia sequens regula traditur: quancumque Sponsalibus de futuro supervenit nova causa rationalis, vel notabilis mutatio, propter quam notabiliter difficilior redditur

ditur status matrimonii, siue talis, ob quam (si prius fuisset cognita) merito, prudentum etiam iudicio, & approbatione, à Sponsalibus quis abstinuit, *Sponsalia solvuntur ex parte alterius, qui tali re, prius cognita, rationabiliter non contraxisset.* Nam nulla promissio obligat ultra promittentis intentionem; in casu autem, quo nova causa promissioni supervenit, vel si antecessit, & post primum cognita est, præsumi non potest, quod etiam ea stante intenderit se obligare. Hinc not. idem esse, siue causa istæ contractum Sponsalium subsequantur, siue antecedant, si ab innocente sint probabiliter ignoratæ, & primò post cognitæ: sic enim se habent in hoc casu, ac si prius non fuissent, sed quasi de novo supervenirent. Nam *paria censentur in iure non esse, & non apparere, L. de Lege, ff. de contrahend. empt.* Et ideo rectè censet Pirhing de sponsal. n. 63. in casu, quo dubitatur, an eiusmodi causa, quæ in re præcessit contractum Sponsalium, tunc fuerit ignorata ab eo, qui eam nunc opponit, ei credendum esse, quando dicit, cum prudenti veri similitudine, quod matrimonium non promississet, si ante promissionem hoc scivisset. Nam *in his, quæ ad animum pertinent* (ut scientia, ignorantia, intentio) *standum est cuiusque juramento, in utroque foro, si aliter probari non potest, Covarr. l. 2. resol. c. 10. n. 1.* præsertim, ubi agitur de obligatione tam moietæ servitutis, qualis est matrimonii.

§16. Ex hoc sequitur. I. si quis Sponsorum patiatur notabilem corporis defectum, Sponsalibus supervenientem, illæsum licitè rescire; talis est amissio manûs, nasi, aurium, oculi &c. item paralytis, lepra, morbus gallicus, vel morbus alius contagiosus, vel incurabilis; ita communis. Nam hæc revera præstant in eiusmodi viatiato corpore notabilem mutationem, prout etiam exprimitur in dict. c. *Quemadmodum.* Et ideo ab ea parte, quæ illæsa manet, licitè solvuntur Sponsalia, si contingat alteram, tempore Sponsalium apprimè formosam, postmodum notabiliter deformari; ita Sanchez l. 1. hic D. 57. n. 4. quia sic revera res sunt notabiliter mutatae; nec in eodem statu manent; cum corpus adeò foedatam facillimè nau-

Tom. II.

seam pariat ad ejus usum, cum periculo alterius, in alio concubitu illicitum, quaesituri. Neque tener, quod vult Covarruvias. 4. Decret. p. 1. c. 5. n. 6. contrarium sentiens, & volens in c. *Quemadmodum*, requiri deformitatem inibi expressam (nimirum membrorum) vel eam majorem. Nam per ea verba, *vel aliquid turpius ei evenerit*, non fit comparatio præcisè ad expressam, sed ad quæcunque alia, quæ libero à tali deformitate merito horrorem incutiant, aut aversionem pariunt, ad individuum cum taliter deformi vitæ societatem, & convictum conjugalem.

Sequitur. 2. idem procedere, si in alterutro superveniat notabilis deformitas, ex parte animi; cujus ratio est, quia sæpe per hoc deficit causa finalis factæ promissionis; tum quia talis defectus animi eo carentis plurimum avertit ab eum patiente; undè merito timeri possint infelices exitus talium matrimoniorum. Talis casus est. 1. si quis Sponsorum incurrat gravem infamiam. Nam hæc in contrahendo matrimonio quemlibet prudentem avertit, ut rectè observat Castropalaus cit. 2. si detegatur, alterum esse sævis, & truculentis moribus, deditum ebrietati, scortationibus, aut similibus gravibus vitiis. 3. si ante matrimonium inter Sponsos oriantur graves dissensiones, quæ plerumque fovent amarorem animi; vel obstinata contradictio parentum, unde inimicitia non tantum inter ipsos, sed etiam integras familias, imò & ipsos Sponsos enascuntur.

Si quæras, an idem procedat, si superveniat notabilis mutatio ex parte fortunarum. Resp. affirmativè. Fundatur hoc specialiter in objecto per Sponsalia promisso, nempe matrimonio. Cum enim hoc importet contractum, si semel validus sit, indissolubilem, cum gravibus oneribus individua vitæ societatis eum uno; prolium, & similibus, quæ valde ardua sunt, & magnam libertatem exigunt, merito præsumitur talis objecti promissio sub tacita conditione: *rebus in eodem statu permanentibus*: at hoc non contingit, ubi accidit notabilis mutatio in uno, etiam ex parte fortunarum; sic enim alteri status matrimonii redditur difficilior; ergo. Talis est. 1. defectus

L 2

dotis

dotis promissæ. Nam ob hoc is, cui dos promissæ negatur, licet solvit Sponsalia; cum dotis promissio sit conditio, sub qua illa contrahuntur, quæ deficiente, contractus deficit ex c. de illis 3. de conditionib. apposit.

319. Idem valde probabiliter procedit, si unus Sponsorum tempore Sponsalium dives, postea labatur in paupertatem, licet ea bona in dorem promissæ non sint. Quia, cum, hoc præsertim ævo, patrimonium contrahentis maximè attendatur, & plures nubant spe opum, aut promotionis, quam amore inducti in talem personam; ubi mutatione fortunæ res cadit in deterius, valde mutatur status à priori, cujus defectus in principio, nullo modo in Sponsalia, seu promissionem futuri matrimonii alterum induxisset. Unde non immeritò, saltem tacite, præsumitur contrahens voluntatem suam sub hac spe illam ad qualitatem restrinxisse. Sic Layman. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. n. 8. & alii.

320. Nec propterea inferre licet; ergo etiam licet resiliat, qui post Sponsalia magnis divitiis inopinò auctus est, non habitis, aut fore præcognitis in principio, dum contraxit. Nam à priori casu ad istum non rectè procedit argumentum. In prior enim Sponso v. g. jus resiliendi comperit, quia status alterius, nimirum Sponsæ, notabiliter immutatus est; at hoc non contingit, ubi ipse Sponsus v. g. notabiliter auctus est divitiis, Sponsam in eodem statu permanente. Nec juvat, quòd ditior factus, jam posset habere nobilium, aut melius connubium, consequenter jam ei reddatur difficilior executio matrimonii. Nam non quæcunque difficultas ad licetè resiliendum in Sponso v. g. sufficit, sed requiritur, eam nasci ex parte status in altero notabiliter mutati, qui regulariter in Sponsalibus attendi solet. Aliàs Sponsus licetè resiliat, si per accidens fieret, quòd alia formosior, aut ditior eum accipere vellet; cujus contrarium in praxi certum est.

## §. 14.

*An priora Sponsalia solvantur ob superveniens juris impedimentum.*

321. Resp. in casu, quo supervenit juris impedimentum, matrimonium contra-

hendum dirimens, solvi ex parte innocentis, si culpa alterius intervenit; non autem ejus, qui est causa talis impedimenti; ut si Sponsus post Sponsalia cognovit carnaliter consanguineam Sponsam, unde nata sit affinitas Sponsi cum sua Sponsa. Ratio. 1. partis est ex n. 315. quia tali casu in eo, qui causa est hujus impedimenti, adest notabilis mutatio, innocenti præbens justam causam ab eo recedendi. Ratio alterius est, ne scilicet ex malitia sua lucrum habeat, & innocenti præjudicet. Et ideo probabilius est, eum teneri ad procurandam dispensationem in impedimento à se culpabiliter inducto; quia, cum jus compartis læserit, tenetur illud reparare, quod fit viâ dispensationis impedimentum tollendo. Sic Castropalaus de sponsal. D. 1. p. 26. n. 4. quod rectè limitat Sanchez l. 1. b. c. D. 56. n. 4. si dispensatio non exigeret majores expensas, & moram, quam sit Sponsæ damnum in dato casu: si autem impedimentum inductum est sine culpa Sponsorum, priora Sponsalia solvantur ex parte utriusque; quia tunc executioni dare non possunt licetè, stante tali impedimento, & neuter eorum tunc, etiam per accidens, tenetur procurare favorem dispensationis.

Nec obstat, quòd dispensatio sit favor; & nemo teneatur uti favore. Nam hoc verum est loquendo per se; non autem per accidens: ut, si aliter satisfacere non possit injuriæ alteri factæ, ut contingit in casu, quo Sponsus suam culpam induxit impedimentum dirimens cum sibi prius legitime sponsata. Unde cum in L. Continuus. §. cum quis ff. de Verbor. obligat. dicitur (qua pendet à Voluntate Principis, censeri quasi impossibilia) solum sequitur, quòd sint valde difficilia, quæ ad sui executionem requirunt mutari jus commune; & ideo solum probat, non posse esse stipulationem super illis; saltem in casu, quo dispensari non solet; non autem, non posse esse damnificationem, quæ obliget ad prædicti juris procurandam mutationem, quantum est ex ejus parte, qui injuriam, & damnum dedit; si autem impedimentum superveniens se ret solum impediens? affirmat de quolibet impedimento impediens, solvi pariter Sponsalia, Petrus de Ledesma q. 43. de Matr. a. 3. causa 3. apud Sanchez cit. n. 3. sed

sed longè rectius negatur. Quia, nullum ex impedimentis merè impediendis matrimonium contrahendum, quæ hodie in usu sunt, hanc vim illo jure haber. 1. *Non Ecclesiæ veritum*. Nam hoc non prohibet simpliciter nuptias; sed tantùm, pendente causâ, propter quam Judex Ecclesiasticus, vel etiam quandoque Parochus, ad tempus aliquod, Sponsis interdicit nuptias. 2. *non tempus feriatum*; nam hoc prohibentur nuptiæ solùm cum sojennitate, ut dicemus tit. 16. Nec 3. *Sponsalia de futuro subsequencia*, cum hæc ex dictis invalida sint: unde solùm difficultas esse potest de voto. Per hoc autem, si subsequatur ad Sponsalia prius legitime contracta, non solvi Sponsalia ex parte votantis, sive sit Religionis ingrediendæ, sive suscipiendi sacrum ordinem, sive simplicis castitatis in seculo, constat ex dictis: tum quia est in præjudicium Sponsæ; quod DEO placere non potest; tum quia non imbibit etiam tacitè conditionem aliam, nisi eligatur status Religiosi instituti.

## S. 15.

An ad dissolutionem Sponsalium de futuro necessaria sit Judicialis Auctoritas?

323. Quæstio procedit in casu, quo adest, vel occurrit aliqua causa ex prædictis, ob quas licitè solvi posse Sponsalia dictum est; suppon. autem, fieri posse, quod ad esse talem causam, vel sit certum, vel dubium jure, & factò; item, quod sit publicum vel occultum. Publicum hic videtur accipi prout opponitur occulto, quod, licet sciatur ab uno, vel altero, ac etiam probari possit; tamen à majori parte viciniæ, vel communitatis, quæ constat saltem 10. personis, ignoratur. Certum de jure dicitur, cum talis causa est in jure expressa; certum de factò, quando certum est, eam causam, quæ allegatur, adesse; ita Sanchez, l. 1. hic D. 69. n. 4. quibus positus:

324. Resp. in casu, quo abest morale, seu prudens periculum scandali, non requiri Judicis Auctoritatem ex natura rei, ad recessum à Sponsalibus; quoties habetur certitudo causæ sufficientis, ad Sponsalia de futuro dissolvenda. Cum enim Sponsalia de futuro imbibant tacitè conditio-

nem (si res in eodem statu permancant) ubi contrarium contingit, eo ipso ex natura rei (deficiente nimirum conditione) non minus, ac alii contractus, conditione non subsistente, dissolvuntur; ergo cum adest certitudo mutari status rei, nec adest prudens periculum scandali; non requiritur, quod interveniat factum hominis, vel Judicis, ad licitum in tali casu recessum. Et ideo Sponsalia de futuro publice inita, vel etiam aliunde publica, licitè solvi possunt propria Sponsorum auctoritate, si causa dissolvendi sit certa de jure, & factò, atque publica. Nam si est publica, non est prudens periculum scandali, cujus vitandi causâ, potissimum aliàs desideratur factum Judicis; & si est certa tam de jure, quàm de factò, per ejusmodi certitudinem conditionis non subsistentis, tollitur ei, qui tali causâ affectus est, jus possessionis quæsitum ex Sponsalibus, quod erat tacitè conditionatum. Idem procedit in casu Sponsalium occultè initorum, si causa, ut prius, certa sit, licet occulta. Nam & sic abest injuria ejus, à quo receditur; & scandalum; cum prius vinculum ponatur occultum.

Hinc per oppositum sequitur necessaria esse Judicis auctoritatem. 1. si Sponsalia sint publica, sed causa solvendi, occulta, licet jure, ac factò certa, ne contingat aliàs scandalum; quod tamen videtur limitandum, ut non procedat, si causa taliter certa non tantùm sit occulta sic, ut à majori parte viciniæ ignoretur; sed etiam, ut in judicio probari non possit. Nam in tali casu inutilis foret recursus ad Judicem, qui carentem probatione rejiceret, & causæ sibi competentis certus, rem sibi debitam recuperare non posset damno suo, ad quod non tenetur causâ vitandi scandali. Similiter dicendum, necessariam esse Judicis auctoritatem non tantùm in casu, quo causa dissolutionis est dubia de jure; sed etiam cum est dubia de factò; ne scilicet alter jure sibi legitime quæsitum in re gravi (qualis est regulariter Sponsalium) cum injuria priveretur. Nam quoties est probabile, seu prudens periculum injuriæ in alterum committendæ, jus certum alteri licitè tolli non potest, nisi in oppositum sit fundamentum prævalens contra certam ejus possessionem.

326. Dices tamen. 1. in c. Duo pueri, de Spons. Impub. cuidam imponitur penitentia, quod non requisito Ecclesie iudicio Sponsam dimiserit. 2. c. de Illis, elig. 1. eod. dicitur, quod impuberes, ubi pubertatem adepti contra priora Sponsalia reclamaverint, separandi sint iudicio Ecclesie. 3. quia etiam propter causam notoriam v. g. propter affinitatem, non licet dimittere Uxorem, ut habetur c. Porrò. 3. de Divortiiis. 4. Quia c. Seculares. 33. q. 2. puniuntur, qui separantur absque autoritate Ecclesie, ergo nunquam licet, etiam ex iusta causa, Sponsis autoritate propria recedere à Sponsalibus. Aliqui hanc illationem admittunt exceptis duobus casibus; nimirum cum alter Sponsorum de futuro ingreditur, Religionem; vel, cum alio contrahit per verba de præsentis. Nam hi casus ipso iure notissimi sunt. Alii excipiunt etiam fornicationem notoriam, vel detectionem impedimenti, ex consanguinitate, vel affinitate, aut denique fufceptionem ordinis sacri, de quibus V. Sanchez cit. n. 2. his præmissis.

327. Resp. per ea iura nihil probari contra Sponsalia de futuro. Nam c. Duo Pueri, loquitur de casu, quo Vir sine iudicio Ecclesie dimisit Sponsam de præsentis, ut clare patet ibid. ex §. Cum verò. Unde non videtur subsistere, quod dicit Barbosa in cit. c. Duo Pueri, ideo ibi penitentiam statui, sine iudicio Ecclesie recedenti, quia agebatur de resiliente absque causa manifesta, & clara; tum quoad veritatem, tum quoad iustitiam. Nam causa resiliendi fuit, quod mulier S. (quam per verba de præsentis duxerat post Sponsalia cum Guilielma) fuerit huius consobrina, & ob impedimentum publicæ honestatis, ortum ex primis Sponsalibus, in Uxorem habere non poterat, quod ibi manifestum, & clarum erat.

328. Ad c. de Illis, Resp. ibi nihil aliud dici, quam quod Iudex Ecclesiasticus debeat Sponsalia dissolvere declarativè, si impubes, factus pubes, contra illa apud ipsum reclamet; non autem, quod factus pubes aliter ea solvere non possit, nisi reclamando apud Iudicem Ecclesiasticum. Sic Barbosa cit. in c. de Illis. n. 4. & apud illum complures. Ad c. Porrò, 3. de divortiiis, constabit ex dicendis infra. Interim Resp. nihil ex illo ad casum nostrum con-

cludi. Nam ibi agitur de solvendo matrimonio, quoad vinculum; quæ causa, cum contineat quæstionem vinculi Sacramentalis, in casu parentelæ nororiæ, declarativè saltem, dissolvendi; ex multis capitibus indiget iudicio Ecclesie, hoc est, ut notat Sanchez hic in cit. c. n. 2. sententiâ Episcopi, vel Ordinarii cum suis: tantam porrò Ecclesie discussionem in causâ Sponsalium de futuro nullibi jus requirit; maxime, cum nec ad solutionem matrimonii, quoad thorum, in casu adulterii indeclinabiliter inexcusabilis, eam requirant Canones in c. significasti. 4. eod. Ad c. seculares. Resp. ibi solum excommunicari seculares, qui ante iudicium Ecclesie conjugale consortium dimittunt, & Uxores suas abjiciunt, nullas causas diffidii probabiliter proponentes; hoc autem contra dicta non militat. 1. quia non agimus de solutione matrimonii, præsertim quoad vinculum, de quo tamen agit cit. c. Deinde, quia nos requirimus iudicium Ecclesie, ubi causa discedendi ambigua est, seu non probabilis; Ergo.

Si quæras, quæ probatio requiratur pro dissolutione Sponsalium? Resp. cum nulli Sponsorum de futuro altero invito liceat à Sponsalibus recedere autoritate propria, nisi causa recedendi certa sit, tam de iure, quam de facto, necessariam omnino esse illius probationem; consequenter dubitari posse, quæ & quanta esse debeat ea certitudo, ut liceat ille recessus autoritate propria? 2. quæ probatio sufficiat, ut Iudex Ecclesiasticus recessum à Sponsalibus uni Sponsorum eum petenti rectè concedat? Ad 1. respondet P. Sanchez cit. D. 69. n. 9. non requiri, ut undequaque certa sit sufficientia causæ sic, ut nulla sit opinio contraria (vix enim casus contingeret) sed requiri certitudinem moralem, id est, ut causa juxta probabilem opinionem sit sufficiens; quia in moralibus, ad operandum, hæc dicitur certitudo; cum satis sit, ut quis tutò operetur, opinionem probabilem amplecti. Hæc P. Sanchez loc. cit.

Ad 2. Resp. 1. si ambo Sponsi dicunt adesse causam dissolvendi Sponsalia de futuro, Iudicem rectè dissoluturum, etiam si causa vera non sit; quia sic videntur ex mutuo consensu sibi obligationem remittere; Sanchez l. 7. D. 72. n. 1. si autem unus eorum

eorum (qui oportet fieri matrimonium) dicat, adesse causam dissolvendi, & altera consentiat, idem dicendum est; quia sic concurrat utriusque consensus; non autem si renuens matrimonium, diceret, adesse causam dissolvendi; sic enim in sui favorem testaretur; quod utique insufficientis est ad ferendam sententiam in præjudicium negantis, volentis servari dictam fidem: sed quid, si unus testis juratus deponat, adesse causam dissolvendi Sponsalia? Resp. satis fore ad impediendum matrimonium, esto talis testis sit, criminosus, suamque turpitudinem fateatur, nec fortè citatus, sed à parte productus, vel ex generali mandato Parochi revelare impedimentum coactus, licet clam, & absque sui nominis publicatione coram partibus, testimonium ferat, saltem in casu, quo Sponsalia non sunt jurata, ut colligitur ex c. super eo. 22. de Test. & attestat. ubi recipitur testimonium Matris pro filia de consanguinitate deponentis, in ordine ad matrimonium impediendum, licet alias suspectum sit, ubi agitur de contrahendo in favorem filiarum. & c. Præterea. 12. de sponsal. ubi dictum unius, etiam asserentis impedimentum, impedit matrimonium contrahendum, nisi iuramentum intervenisset; & ita tenet Sanchez. l. 1. D. 71. n. 2. Quia, cum hic agatur de impediendo peccato, quod Sponsi contrahendo committerent, minori probatione opus est; quam si ageretur de jam contracto dissolvendo, ubi etiam tangitur jus alteri quaesitum.

332. Dixi. 1. testis juratus; quia quando agitur de præjudicio tertii, ut in præsentibus, nemini nisi jurato creditur. Ex c. Tua. de cobabit. Clericor. Sanchez. cit. n. 10. Dixi. 2. si deponat, adesse causam, quod non contingit, si deponat, se audivisse, quod adfit; sic enim non est testis juratus, quod res sit; excipe, nisi deponat circa impedimentum affinitatis, vel consanguinitatis cum iuramento, quod saltem à duobus suis majoribus audiverit, eos esse conjunctos in tali gradu, eumque aperte distinguendo. Nam aperta gradus computatio æquivaleret depositioni certæ de impedimento; ita Castropalaus de sponsal. D. 1. p. 31. n. 4. Et in hoc casu proximo requiritur, quod testis deponens sit persona honesta, non vilis. Nam

talis nec ad denuntiandum admittitur, nisi factum sit adeò clandestinum, ut aliter non possit probari. argum. gl. in c. delicti. de Elect. & c. præterea de Testib. Dixi. 3. esto talis testis sit criminosus, & suam turpitudinem alleget, ut constat ex cit. c. Præterea, de spons. ibi: ejus consanguineus cum ea deliquisse proponit. Dixi. 4. esto non sit citatus, sed per partem productus. Nam propter hoc non præsumitur, se ingerere, arg. c. constitutus, de Testibus, consequenter nec tanquam suspectus repellendus, qualiter sit, si se ipsum ingerat. arg. L. Uxor. §. 1. ff. de Fal.

Dixi. 5. licet nolit, parte citata, publicè deponere, vel nomen suum publicare, prout aliàs requiritur, constat ex cit. c. Præterea de spons. ibi: sed hoc publicè confiteri recusat. Dixi. 6. si deponat. Nam si solum denuntiet, ultra hoc etiam fama requiritur, ut dicitur in c. Cum in Tua. 27. de spons. ibi: si persona gravis, cui fides sit adhibenda, tibi denuntiet, quod hi, qui sunt matrimonio copulandi, se propinquitatem contingant; & de fama, vel scandalo doceat &c. Dixi. 7. saltem in casu, quo Sponsalia sunt jurata. Nam in tali casu aliqui consent unicum testem, etiam juratum, non sufficere; & videtur haberi clarè in c. Præterea, 12. de spons. ibi: nisi iuramentum intervenisset; si enim non impleantur jurata Sponsalia, haberetur certitudo de perjurio, & solum incertitudo de impedimento; sic Gl. in c. super eo, de Consang. V. Fama & alii. Cui accedit, quod etiam in c. Cum in Tua, de spons. ultra unum testem, fama requiratur.

333. Verum, si testis sit integer, & omni exceptione major, contrarium probabilius est; ita Sanchez. cit. n. 8. & alii. Nam probatio famæ de impedimento sufficiens est, ad dissolvenda Sponsalia, etiam jurata, ut deciditur in c. super eo 2. de consang. & affin. ubi Urbanus III. Bardegalensi Archiepiscopo scribens, super eo, inquit, quod Juvenem asseris puellam nondum nubilem, fide interposita de sponsasse, quæ jam facta nubilis eum repetit; & ille excipit, dicens, se non debere eam ducere, pro eo quod, postquam puellam diffidavit eandem, carnaliter propinquam ipsius cognovit: inquisitioni tuæ respondemus: quod, si manifestum est, juvenem cognovisse propinquam

quam predicta puella; vel, si non est manifestum, fama tamen loci hoc habet, cum esset Sponsa tantummodo de futuro, idem ab eius impetitione debet absolvi: sed unus testis integer æque, imò fortius probat, ex communi sensu, teste Mascardo de probat. concl. 753. & c. super eo loquitur simpliciter, sufficere unius testimonium ad dissolvenda Sponsalia, quin decisionem restringat ad jurata: ergo. Ut autem testis dicatur integer, seu omni exceptione major, requiritur, quòd deponat, nomine suo publicato; nec alleget propriam turpitudinem: his positis:

334. Ad ea, quæ sunt in contrarium. Resp. in cit. c. Præterea, non rejici testimonium unius ad jurata Sponsalia dissolvenda, nisi in casu, quo testis non est integer; qualis ibi fuit. Nam ille deponebat de suo delicto cum Sponsa sui consanguinei; & publicè fateri, recusabat. Testis autem in c. Cum in Tua, non deponebat, sed tantum denunciabat, quo casu nos ipsi ulterius famam requirimus, ut dictum est; & dicemus in seq. Resp. demum. 3. famam, quæ defumitur à fide dignis, esse sufficientem probationem dissolvendi Sponsalia, ut dicitur in cit. c. super eo, de consanguinit. intellige, si fama sit allegata, & probata, quare non sufficit, si notorium sit, esse famam de impedimento; quia Judex aliter judicare non potest, ut docet Castropalaus cit. n. 7. aliàs enim Judex ferret sententiam ex privata noticia, & non publica; sic Gutierrez. de Matr. c. 36. n. 14.

335. Præter hæc not. 1. ut Judex de plano, & absque judiciario ordine inquiret super impedimento, de quo fama est; illi pro tali casu sufficere privatam famæ notitiam ex c. Cum in tua. 27. b. t. ibi: aut etiam per te ipsum possis certificari de plano. Per famam autem intelligitur autumatio, seu opinio majoris partis vicinæ, in qua ad minus habitant decem; opinio autem majoris partis vicinæ, dicitur rumor; ita Sanchez l. 1. D. 71. in fine n. 18. cujus ulterior ratio est; quia hic agitur de cavendo peccato, & periculo matrimonii nulliter contrahendi; & fortè, detectâ deinceps nullitate, vel ægrè sustinendi; vel non nisi cum magnis difficultatibus separandi.

Not. 2. probabilius esse, in dicto casu testes, qui deponunt de impedimento, debere esse juratos, esto id neget Sanchez D. 71. n. 5. quia testi non jurato, in præjudicium tertii, non creditur, ut dictum est; & famam, de qua dictum est supr. non esse infirmatum aliis probationibus contrariis per c. Cum in Tua 27. de spons. junct. gl. V. famam; sic Mascard. de probat. concl. 1035. n. 14. Infirmatur autem illa fama, consanguineorum juramento, ut ibid. dicitur; imò etiam juramento contrahentium, quamvis tunc arbitrio Judicis relinquatur, quantum huic juramento deferendum sit, teste Mascardo cit. n. 16. Et hoc, quod diximus de fama impedimenti, sufficiente ad impediendum matrimonium (consequenter ad dissolvenda Sponsalia) extendunt Antoninus, & Præpositus apud Castropalaum n. 7. etiam ad rumorem; sed probabilius negatur, cum ea vis in c. super eo, tribuatur solum fame.

Not. denique 4. has probationes, ortas à teste jurato, famâ, vel confessione Sponsorum, requiri solum, quando Sponsalia dissolvenda sunt à Judice propterea, quòd probetur adesse impedimentum, impediens matrimonium contrahendum; non autem, quando sermo est de causâ, quæ præbet uni Sponsorum jus resiliendi à Sponsalibus. Ad hoc enim in foro conscientie sufficit unus testis; in foro autem externo requiruntur duo, quia agitur de præjudicio tertii, non autem de peccato vitando. Reliquæ autem quæstiones, quæ concernunt Sponsalia de futuro, cujusmodi sunt, quid in eis operetur vis, & metus; quid conditiones appositæ? &c. resolventur in seqq.

## PARS II.

### De Matrimonii.

Matrimonium considerari potest, vel in quantum est præcisè contractus; vel etiam, in quantum est Sacramentum. Aliqui censent, matrimonium acceptum pro contractu, sumi casualiter (relatè nimirum ad vinculum, seu Conjugum obligationem mutuam, in qua constituunt matrimonium acceptum formaliter) sic Pereyra in Elucidar. l. 3. Elucidat. 6. f. 1. n. 1670. in fine: sed

fed his prætermiffis, cum quæftionibus illis, quas ex profeffo tradunt Theologi morales, ea breviter dicemus, quæ jure Canonum tractari folent, fumpturi matrimonium, in quantum eft contractus pro legitimo Viri & mulieris confenfu ad ſibi mutuò conſtituendum in ſuo corpore juſ ad copulam conjugalem; in quantum autem eft Sacramentum, pro eodem contractu, in quantum à Chriſto elevatus eſt ad rationem Sacramenti novæ legis.

## ARTICULUS I.

## De Matrimonio, in quantum eſt Sacramentum?

339. Matrimonium fidelium eſſe verè, ac propriè Sacramentum novæ legis, à Chriſto Domino inſtitutum, conſtat ex Concil. Trident. ſub Eugen. IV. in decreto fidei poſt ult. Seſſ. tum etiam ex Trident. Seſſ. 7. de Sacram. in genere. Can. 1. ibi: *ſi quis dixerit, Sacramenta novæ legis non fuiſſe* (re- cenſetur autem ibid. inter ea etiam matrimonium) *à Chriſto JESU, Domino noſtro inſtituta, vel pauciora, aut etiam aliquò horum ſeptem (ex ibi recensitis) non eſſe verè, & propriè Sacramentum, anathema ſit.* & Seſſ. 24. de Reform. Matr. Can. 1. ibi: *ſi quis dixerit, matrimonium non eſſe verè, ac propriè unum ex ſeptem legis Evangelicæ Sacramentis, à Chriſto Domino inſtitutum; ſed ab hominibus in Eccleſia inventum, neque gratiam conferre, anathema ſit;* intellige, quando legitimè celebratum eſt cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia: ſic enim ex inſtitutione Chriſti eſt ſignum præcticum, legitimà ſui ſuſceptione Viro, & mulieri conferens gratiam ad perpetuam vitæ conſuetudinem mutuò conſervandam. Porò dubitationes, quæ circa præſentem materiam communiter proponi ſolent, in ſequent. breviter reſolvemus.

## §. 1.

## An omne matrimonium fidelium, ſit Sacramentum?

340. Pirhing de ſponſal. n. 74. Caſtopalauſ. D. 2. de ſponſ. p. 2. n. 5. & alii negant, fideles baptizatos poſſe verum matrimo-

Tom. IV.

nium contrahere, & non Sacramentum, rectius tamen affirmat Rebellus p. 2. de oblig. Juſt. l. 1. q. 5. concl. 1. Vasquez tom. 2. in 3. p. d. 138. c. 5. Baſilius Ponrius l. 1. c. 9. n. 3. Gaſpar Hurtado de matr. D. 3. diff. 9. n. 2. & alii; quia Sacramentum non fit ſine intentione faciendi Sacramentum, vel faciendi, quod facit Eccleſia, ut conſtat ex Florent. in Decret. Unionis: ſed Vir & mulier etiam fideles, & baptizati celebrare poſſunt matrimonium, in quantum eſt legitimus contractus, cum ſola intentione ſibi mutuò conſtituendi juſ ſuorum corporum ad proliſ generationem, ſine illa intentione faciendi Sacramentum; cum intentio prior ſtet, ſine ſecunda, ut patet, ſi talis contractus à Chriſto non fuiſſet elevatus ad rationem Sacramenti; ergo poſſunt celebrare matrimonium, quin ſit Sacramentum.

Dices. 1. cum Caſtopalauſ cit. Tri- 341. dent. Seſſ. 24. c. 1. declaravit, quodlibet matrimonium fidelium eſſe Sacramentum. Reſp. cum diſtinctione: & dico, Tridentinum intelligi, quando contractus à Miniſtro fit *cum intentione faciendi Sacramentum*, ſeu faciendi, quod facit Eccleſia; non autem ſecus. Quòd autem intentio celebrandi legitimum contractum conjugalem, & tunc *intentio faciendi contractum conjugalem*; & intentio faciendi in eo contractu Sacramentum, non ſint idem, probatur tum ex objecto directè intento, quòd relare ad illam non eſt idem cum alterius objecto ſaltem adæquatè; tum quia ſunt intentiones ſubjecto ſeparabiles.

Dices. 2. Baptizati non poſſunt con- 342. trahere matrimonium, niſi cum intentione contrahendi *more Chriſtiano*; ſed ſic eo ipſo talis contractus eſt Sacramentum; ergo. Reſp. 1. negando majorem; cum poſſint contractum intendere præciſè; juxta naturam contractus. Reſp. 2. cum diſt. maj. non poſſunt contrahere, niſi cum intentione contrahendi *more Chriſtiano*, hoc eſt, eo modo, quo Chriſtus voluit. N. *more Chriſtiano*, hoc eſt, eo modo, quo intendunt contrahere aliqui Chriſtiani, ſeu Baptizati, ſed hæretici, negantes matrimonium eſſe verum Sacramentum, C. maj. ſed hæc intentio non ſufficit ad Sacramentum.

M

Dices. 3.

343. Dices. 3. Essentia hujus Sacramenti consistit in legitimo fidelium contractu, quo sibi invicem sua corpora tradunt ad usum conjugalem; ergo fideles intendentes celebrare prædictum contractum, necessariò intendunt celebrare matrimonium, quod sit Sacramentum. Resp. non concedi anteced. nisi simul adsit, intentio celebrandi contractum eo modo, quo Christus voluit; hæc autem intentio deficere potest ab intentione celebrandi præcisè contractum constitutum juris mutui suorum corporum ad usum conjugalem; ergo. Quare negandum est, quòd matrimonium, in quantum præcisè contractus est, includat essentialiter, ac inseparabiliter intentionem celebrandi talem contractum animo faciendi Sacramentum, cum hoc nec autoritas, nec ratio evincat. Neque per hoc licitum sit fidelibus, celebrare matrimonia præcisè, quòd sunt contractus; cum supposità institutione Christi, & elevatione matrimonii fidelium ad rationem Sacramenti, lege naturali prohibeantur, actionem sacramentalem sine ratione Sacramenti celebrare; vel, defectu talis intentionis, irritare; præsertim cum omne matrimonium legitimum, jure divino, à consensu conjugum, indissolubile sit, ut dicemus in seqq.

344. Quòd autem dicitur, fore (ut plerumque matrimonia, hæreticorum, vel Catholici cum hæretica, deficerent à ratione Sacramenti) solum procederet in casu, quo intentio hæretici, volentis contrahere sine animo Sacramenti, foret efficax, ut alteram, quam communiter habent, ineundi matrimonium juxta voluntatem Christi, redderet inefficacem, quòd tamen rarissimè fit, nec præsumi potest. Intentio autem ineundi matrimonium juxta voluntatem Christi, seu prout exigit vera fides salvifica (quam, ut dixi, plerumq; habent, licet errent, existimantes matrimonium non esse è numero Sacramentorum) virtualiter ac implicitè est intentio sufficiens Sacramenti.

## §. 2.

*An matrimonium fidelium, celebratum per epistolam, vel Procuratorem, sit Sacramentum?*

345. Supponendum ex c. fin. de Procuratoribus in 6. ante Trid. etiam inter absentes,

matrimonia validè celebrata esse per Procuratorem, qui habuit qualitates inibi descriptas, nimirum (si ad hoc sit specialiter constitutus) ubi glossa. V. *Idoneus*, ait, *de hoc non dubitari*. Neque in hoc aliquid immutatum esse jure novo, si servetur, atque fiat talis contractus in facie Ecclesiæ. Supp. 2. inter absentes matrimonia validè contrahi etiam per epistolam ad eum finem scriptam, & missam, etiam post Trident. ut notat Barbosa in t. *Nec illud*. 30. q. 5. n. 2. & colligitur arg. c. *Cum apud*, 23. & c. *Tua*. 25. de *Sponsal.* ubi definitum est; *sufficere alia signa, quàm verba*; & hæc, inter valentes loqui, necessaria esse solum quoad Ecclesiæ, ut dictum est in præcedentibus; pro quo sufficit, consensum exprimi verbis, vel vocalibus, vel scriptis, vel verbis æquivalenter, eà tamen lege, ut consensus Principalis, antequam Procurator contrahat, vel promissarius, datum consensum in epistola, cum repromissione acceptet, ab eodem non retractetur, sed habitualiter perseveret; his positis.

Ad quæstionem propositam negativè 346. respondet Rebellus de *Obligat. Just.* p. 2. l. 2. q. 5. & alii: sed longè probabilius est oppositum. Nam matrimonium, in quantum contractus legitimus, celebratus cum intentione faciendi, quòd facit Ecclesiæ, ex institutione Christi, habet rationem veri Sacramenti; hoc autem inter Baptizatos absentes fieri potest per Procuratorem, specialiter ad hoc constitutum, vel epistolam (nam taliter fieri potest contractus legitimus inter absentes) & consentiens per Procuratorem, vel per epistolam, potest habere intentionem consentiendi per eos eo modo, quo Christus voluit; ergo nihil deest, ut, his positis, fiat verum Sacramentum; sic Communis.

Ad fundamenta contrariæ sententiæ Resp. esto ad alia Sacramenta requirantur *verba*; tamen in hoc, ad valorem Sacramenti, non requiritur substantialiter *verba proprie dicta*, ex dictis supra; minus coram, per ipsum contrahentem; personaliter expressà voce, ut ibidem dictum est, quoniam sufficiunt etiam alia signa sufficienter consensum, & intentionem contrahentium exprimentia; cum & ipsum Concilium Florentinum dicat: *requi-*

requiri verba, solum regulariter; ergo, non semper; ergo non substantialiter. Ex hoc autem, quod nullum aliud Sacramentum celebretur per epistolam, vel alium, nihil sequitur; quia non est omnium eadem natura. Matrimonium porro, cum, quatenus est contractus, sit assumptum ad rationem Sacramenti, & ille celebrari possit per Epistolam, vel Procuratorem, proprium habet, quod aliis commune non est. Nam Sacramentum poenitentiae non habet utrunque rationem iudicii, sed iudicii arcaui inter solum Iudicem, & personam Rei, uti constat ex Ecclesiae definitione, negantis absolutionem absentis.

348. Si queras, an matrimonium fidelium sit Sacramentum in fieri, vel facto esse? Resp. esse verum Sacramentum non tantum in fieri, sed etiam in facto esse, doceri à Sanchez. l. 2. hic D. 5. n. 7. & aliis. Quoad. I. partem omnino est affirmanda; quia, quando sunt omnia constitutiva Sacramenti eo modo, quo requiruntur, nequit abesse Sacramentum; sed dum contractus matrimonii cum intentione faciendi Sacramentum est in fieri, sunt omnia constitutiva Sacramenti eo modo, quo requiruntur; contractus enim cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, ponitur, & primò est, ut immediate prius non fuerit. Nam hoc est rem fieri, propriè; sed tunc nec institutio Christi deficit; ergo. Quoad secundam verò partem probabilius negatur cum Castropalao D. 2. de spons. p. 2. n. 3. Credibilis enim est, quod Sacramentum matrimonii, licet sit signum practicum gratiae sanctificantis in sui susceptione; sui tamen usu non sanctificet conjuges ex opere operato, prout est communis sensus Doctorum teste Castropal. cit.

349. Ex hoc autem, quod conjuges, etiam post celebratum inter se matrimonium, perpetuo uniti significant unionem Verbi cum natura humana, & Christi cum Ecclesia; & hac ratione sint signum rei Sacrae, divinitus institutum, non sunt tamen signum practicum gratiae, nisi in susceptione; non, in usu, nec paritas ab Eucharistia urget; haec enim habet esse signum gratiae practicum, seu causativum in sui usu, ex eo, quod institutum sit in spirituale alimentum animae, imitatio

Tom. IV.

ne cibi, & potus corporalis, qui non nutrit, nisi usu suo, & sumptione praevia.

S. 3.

An fiat Sacramentum, si fidelis in-  
eat matrimonium cum infideli?

Supponimus, quod fidelis ex dispensatione Pontificis validè contrahere possit, cum infideli. Ad quaestionem igitur propositam, affirmat Sotus in 4. dist. 26. q. 2. a. 3. sed rectius negatur cum Sanchez. l. 2. hic D. 8. n. 2. Quia Sacramentum ex parte utriusque est unicum in numero, & indivisibile; ergo non potest afficere, nisi utrumque contrahentem; sed infidelem afficere non potest, cum sit incapax; ergo nec fidelem, praesertim cum sicut non unus, sed uterque est Minister, sic in utroque necessaria sit intentio, qua in infideli esse non potest. Contractus enim indivisibiliter procedens à contrahentibus est materia matrimonii, qua est Sacramentum, ut dicemus infra: ergo si nequeant ambo Sacramentaliter contrahere, contractus, in quantum ab illis procedit, nequit esse Sacramentum.

350. Quæstio est, an matrimonium infidelium, suscepto baptismo, evadat Sacramentum? ante responsum sup. etiam apud infideles matrimonium legitime contrahi, & validum esse, ut habetur c. Gaudemus 8. de Divort. ibi: cum Sacramentum conjugii apud fideles, & infideles existat; & c. de infidelibus. 4. de Consang. ubi Innocentius III. Archiepiscopo, & capitulo Tirenfi rescribens, ait: de infidelibus ad fidem conversis, utrum si ante conversionem suam secundum legis veteris instituta, circa gradus consanguinitatis à Canone denotatos conjuncti fuerint, separari debeant post baptismum? duximus respondendum, quod matrimonium sic contractum, non est post baptismi lavacrum separandum; cum à iudeis Dominus requisitus, si liceret Uxorem ex quacunque causa dimittere, ipsis respondit: quod DEUS conjunxit, homo non separet: per hoc innuens esse matrimonium inter eos. Hinc Infideles, facti fideles, non contrahunt denuò, sed in legitimo matrimonio prius inito perseverant; ita Sanchez. l. 2. hic D. 9. n. 1. quo posito.

M 2

Ad

352. Ad quæstionem propositam triplex est sententia: prima docet, fieri Sacramentum suscepto baptismo, post novum consensum; sic Henriquez. l. 11. de matr. c. 8. n. 1. & c. 15. n. 2. Altera idem affirmat, quin requirat novum consensum post baptismum, contracto tamen prius legitime matrimonio; & hanc, ut probabiliorum, tenet Sanchez. cit. n. 5. postrema verò negat omnino, fieri Sacramentum; sic Castropalaus cit. D. 2. de sponsal. p. 2. n. 17. quam etiam probabiliorum iudico. Quia Sacramentum tunc solum fit, quando in fide Christi contrahitur à Sponsis contractu legitimo, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia; hoc autem non fit, quando conversi baptismum suscipiunt, quod pat. 1. si de novo non consentiunt; 2. esto postea novum consensum eliciant; hic enim consensus non constituit illis mutuo, sed tantum approbat jus, utriusque prius legitime constitutum; Ergo.
353. Quare not. 1. licet legitimum matrimonium infidelium, post susceptum baptismum, fiat insolubile, sic, ut neuter possit alterum relinquere, prout antè poterat, si ipse conversus fuisset, altero in sua perfidia remanente: hoc tamen non provenire ex eo, quod prior contractus à non baptizatis renovetur; sed inde, quod suscepto baptismo tollatur causa prædictæ solubilitatis, in eo sita, quod unus, non alter baptismum susceperit.
354. Not. 2. concedi, matrimonium legitimum infidelium, consummatione ejus post susceptum baptismum, reddi omnino insolubile, non ex hoc, quod consummatione Sacramentum efficiat novus contractus suscepto baptismo, ut dictum est: sed ex eo, quod legitimi matrimonii consummatio (facta à fidelibus) significet unionem Christi cum Ecclesia, & Verbi cum natura humana.
355. Not. 3. negandum esse, quod matrimonium tunc fiat Sacramentum, quando ambo, solum habitu, contrahunt in fide Christi. Non enim potest esse aliquid tale in habitu, nimirum perseverantiâ habituali, quod ante nunquam fuit in actu: sed antequam infideles baptizentur, non contraxerunt in fide Christi actu; ergo quando infideles baptizantur, non

contrahunt in fide Christi habitu: ergo nequit tunc esse Sacramentum habitu, saltem sine novo consensu; sed nec novo consensu accedente, quia hic non dat, sed solum approbat jus conjugale præexistens; Ergo.

Unde, quando matrimonium infide- 356.  
lium in c. Gaudemus. 8. de divortis, dicitur Sacramentum, ibi: quod, cum Sacramentum conjugii apud fideles, & infideles existat, per Sacramentum inibi non intelligatur Sacramentum, quod suscipientes sanctificet allatione gratiæ sanctificantis; hæc enim Sacramenta non reperiuntur, nisi in vera Ecclesia. c. quia ex sola. 24. q. 1. t. Extra Catholicam. 1. q. 1. sic, ut extra illam nullum tale reperiatur. c. Plerumque. §. hinc est. 2. q. 7. Cum enim infideles careant baptismo, quod est janua Sacramentorum, quæ sunt in vera Ecclesia; rectè sequitur, eos per matrimonium non habere Sacramentum tale, quale fideles, cum illi non sint de Ecclesia. c. Firmissime, de consecrat. dist. 4. c. Majores, de baptismo. Ut autem debita præstetur solutio ad cit. textum ex c. Gaudemus, responderet Covarr. de sponsal. p. 2. c. 1. §. Unicon. 4. Sacramentum conjugii apud infideles æquè reperiri, sed solo habitu, quod in fidelibus est actu; sed hæc responsio non procedit ut dictum est n. 355.

Alii dicunt, ibidem Sacramentum ac- 357.  
cipi largè, ac improprie respectu infidelium, in quantum aliquo modo designat unionem Christi cum Ecclesia, licet improprie, quia fide carent; ita Sanchez. l. 2. hinc d. 8. n. 1. Riccius in tract. de Jure Person. extra grem. Eccles. l. 2. c. 1. n. 8. ait, apud infideles reperiri Sacramentum, in quantum significat signum rei sacræ præcisè, aliquo modo sanctificantis subiectum suum, non interne per gratiam, sed quasi legaliter, & extrinsecè; non autem in quantum significat signum gratiæ institutum à Christo. Cæterum in eo textu sumi pro Sacramento in genere; ut est signum rei sacræ, probabilius est. Sic enim verificatur: Sacramentum conjugii apud fideles, & infideles existere, sed non eodem modo; nam apud fideles, signum rei sacræ, prout institutum est à Christo; apud infideles, prout erant ejusmodi signa in jure naturali, & lege veteri; sic Barbofa in cit. c. Gaudemus. 8. de divort. n. 5.

§. 4.

## Qua sit materia, &amp; forma Sacramenti matrimonii?

358. Ante resolut. not. 1. Sacramentum posse sumi, vel *specificativè*, nimirum pro eo, quod habet vim significandi Sacramentaliter; vel *reduplicativè*, prout habet vim significandi Sacramentaliter. Hinc explicat duplex concretum; unum, quod dicitur *res informatas verbis*, adhuc indifferentes, sed aptas assumi à DEO in signum gratiae; alterum, quod dicitur *res verbis informatas, et jam determinatas per divinam institutionem, ad rationem signi Sacramentalis*.

359. Not. 2. primum concretum vocatur Sacramentum sumptum materialiter, seu specificativè, quod Mastrius Scotista alio nomine appellat *totum extra Sacramentale*, quia supponitur ad totum Sacramentale, quod habetur formaliter per illius assumptionem in signum gratiae: secundum autem concretum dicitur Sacramentum formaliter, seu reduplicativè acceptum.

Not. 3. ex decreto C.C. Florentini pro instruct. Armenorum, omnia Sacramenta novae legis, constare *rebus* tanquam materia, & *verbis*, tanquam formâ: sed hoc intellige *de verbis*, vel formaliter, vel æquivalenter talibus. Nam in matrimonio sufficient, *loco verborum*, etiam nutus, & alia signa sufficienter expressiva mentis ex dictis: his prænotatis.

360. Resp. ex dictis olim in tract. Theol. de Sacrament. in genere, in Sacramento materialiter sumpto (nimirum pro toto extra Sacramentali) *res* esse materiam; & *verba*, formam: in Sacramento autem formaliter sumpto (nimirum pro toto Sacramentali) *res*, & *verba simul*, esse materiam; & *institutionem Christi*, esse formam. Ex hoc patet, quomodo discurrendum sit de Sacramento matrimonii. Si enim sumitur materialiter, materia erunt *res*; & formâ, erunt *verba*; si formaliter, *res*, & *verba* erunt materia; forma, *institutione Christi*. Cum autem matrimonium, seu contractus mutius, signis externis expressus, sit id, quod Christus assumpsit in signum gratiae, & hic contractus explicet duo, nimirum consensum,

seu *traditionem juris mutuum* in corpus, ad usum conjugalem, ac eisdem *acceptationem*, & hæc supponat illam: in Sacramento matrimonii sumpto formaliter, materia erit *traditio*; forma, *institutio Christi*. Unde cum in cit. Decreto Florent. dicitur, materiam esse *res*, animadvertendum est, *res* non accipi, ut *res* opponuntur *verbis* (nam in Sacramento poenitentiae, materia, *ex qua*, sunt actus poenitentis sensibilibiter expressi, etiam *verbis*) sed sufficere *res æquivalenter*, ea scilicet, quæ in locum rerum subrogantur: sic in matrimonio, loco externæ traditionis, subrogatur consensus externè manifestatus.

§. 5.

## Quis sit Minister Sacramenti matrimonii?

Melchior Canus l. g. c. 5. docet, Minister matrimonii, in quantum est Sacramentum, esse Sacerdotem; sed fallitur; dicendum enim, ministros hujus Sacramenti esse ipsos contrahentes, 1. quia mutuus consensus, quò constat matrimonium sumptum extra Sacramentaliter, non procedit à sacerdote, sed à contrahentibus; sed nec institutio Christi ab illo procedit; ergo nulla pars hujus Sacramenti formaliter sumpti. Deinde nullum sit Sacramentum sine personâ ministri etiam intentione faciendi, quod facit Ecclesia, ut constat ex Trid. & tamen Sacramentum matrimonii, jure antiquo stabat sine Parocho, & testibus; & hodie stat, ubi non viget Tridentinum irritans matrimoniam simpliciter clandestina. Hinc quando matrimonium contrahitur per Procuratorem, non ipse Procurator est Minister Sacramenti, sed est ministri, seu illius, cujus mandato agit, instrumentum.

Hinc pro fundamento Cani nota, verba sacerdotis matrimonio assistentis nullo modo esse necessaria ad valorem hujus Sacramenti, & verba contrahentium suppleri posse signis. Quare omnino negandum est, matrimonium clandestinum simpliciter, non fuisse Sacramentum jure antiquo, ubi ea valida erant; ac etiam jure novo in illis locis, ubi non ligat decretum

M 3

cretum CC. Trid. quo talia matrimonia irrita decernuntur. Et quamvis actio Sacramentalis, Sacra sit, non tamen ex eo talis est, quod fiat à Ministro consecrato (nam alias baptismus, à laico collatus Sacramentum non effert,) sed ex hoc, quod factio, quâ institutione Christi fit, Sacramentum, gratiæ sanctificantis practicè inductivum. Contrahentes autem peccare graviter, quando Sacramentum illud, conscientie culpæ gravis recipiunt, communis tenet: an autem in quantum sunt Ministri, seu illud conficiunt? variant Doctores. Non peccare graviter Ministrum, culpæ mortalis conscientiam, conficientem Sacramentum, nisi sit ad talem functionem specialiter consecratus, olim secutus sum, & nunc sentio, cum Thom. Sanchez. l. 2. hic D. 6. n. 4. Hinc quando Causus objicit, si contrahentes essent Ministri, duplex peccatum grave committerent, unum ministrando, alterum recipiendo Sacramentum; responderetur, id non procedere in dato casu; quia non ministrant ad hoc specialiter consecrati.

## ARTICULUS II.

### *De matrimonio, in quantum est contractus.*

363. Matrimonium sic acceptum, est contractus legitimus, quo contrahentes sibi mutuo constituunt jus suorum corporum ad usum conjugalem, seu proles generationem. Ex quo rectè sequitur, matrimonium celebrari posse, non tantum quâ Sacramentum, sed etiam quâ est contractus, absque consensu in copulam. Jus enim, & usus juris, distincta sunt; ergo & consensus in habendum, vel retinendum jus à consensu in usum juris; quod manifestum fit in Conjugibus, post consummatum matrimonium, Religionem validè professis, qui cum castitate solenniter professi, licet retinent jus mutuum suorum corporum ad usum conjugalem, quin per hoc consentiant in copulam. Ut porro contractus iste (qui humano modo, at inter homines celebratur) cum obligatione mutua, ritè fiat, sequitur. I. eum debere constare consensu mutuo cum repromissione, & acceptatione, signis externis per verba, vel

his æquivalentia, de præsentibus expressa, prout deduci potest ex his, quæ de Sponsalibus præmissa sunt. Quare non sufficit consensus merè internus; nec simulatus, & mendax ex dict. supr. sequitur. 2. eum debere esse inter personas jure habiles, nullo scilicet impedimento dirimente, constrictas, de quo in sequentibus titulis agendum erit. Potissimum, quod hic resolvendum venit, est, qualis esse debeat consensus, qui substantialiter pertinet ad valorem matrimonii.

### §. I.

#### *An valor matrimonii pendeat à consensu juxta consuetudinem Patrie?*

De hoc agitur in c. de Franciar. b. t. 364. ubi quidam nobilem mulierem de Saxonia, lege Saxonum duxit in Uxorem; verum, quia non eisdem utuntur legibus Saxones, & Francigenæ, causatus est, quod eam non suâ, id est, Francorum lege, desponsaverat, vel acceperat, vel dotaverat: dimissaque illâ, aliam superduxit. Definivit super hoc sancta synodus, ut ille transgressor Evangelicæ legis subjiciatur poenitentiae, & à secunda conjugate separetur, ut ad priorem redire cogatur. Ex hoc textu sequitur, ad questionem propositam, dicendum negativè; cum expressè dicatur, à secunda conjugate separetur, & ad priorem redire cogatur, quam dimiserat, non obstante, quod eam non suâ lege desponsaverat. Quare not. I. semper; & apud omnes gentes, ad matrimonium celebrandum, quædam fuisse præscripta, ut substantialia; quædam verò solum ut accidentalia, nimirum pro solennitate, ut not. Gonzalez. in cit. c. 1. n. 18. quod etiam procedit de jure Canonico, ut videri potest in c. Aliter. 3. q. 5. de quo egimus supr. Hinc, licet solennitates legales non sint observandæ, ut actus substantialia; tamen servandæ sint; cum iustæ ac licitæ sint, ut pat. ex c. Raynutius, de Testam. ibi: jure Lambaro; & ideo, etiam S. Synodus Trid. Sess. 24. c. 1. de Reform. optat, ut, si quæ Provincia, aliis, ultra prædictas, laudabilibus consuetudinibus, & ceremoniis, hac in re, utantur, eas omnino retineant.

Not. 2.

365. Not. 2. Quando contrahentes sunt ex diversarum legum, vel consuetudinum Provinciis, in contractu, seu nuptiarum celebratione, habendam esse rationem loci, ubi matrimonium contrahitur, quando leges disponunt de rebus solum extrinsecè, ac non substantialiter requisitis in celebratione nuptiarum: si verò disponant de rebus, quæ exigunt executionem, post contractum matrimonium, idem regulariter dicendum veni- re, nisi contrahentes aliter convenerint. Et quamvis non liceat pacisci contra leges generales, L. *ius publicum. ff. de Pact.* & L. *Pacta, que, C. eod.* licet tamen contra beneficium legis, volentibus concessum. L. *Pacisci. ff. de Pactis*, & alibi; cum quis renuntiare possit beneficio legis, in sui favorem introducto. L. *penult. C. de Pact.* & L. *si Judex. ff. de Minor.* Ex hoc habetur, cur matrimonium Franci cum muliere Saxone, juxta leges Saxonie, non Francie, celebratum, validum, atque iustum pronunciatum sit? *Validum*, quia intervenit mutuus consensus, quo solo matrimonium substantialiter constat juxta c. *Cum apud. 23. b. t. ibi: cum sufficiat ad matrimonium solus consensus eorum, de quarum, quorumque conjunctionibus agitur*; & c. *sufficiat 27.* ubi Nicolaus Papa ad consulta Bulgarorum respondens, ait: *sufficiat secundum leges solus eorum consensus, de quorum conjunctionibus agitur; qui consensus, si in nuptiis solus forte de- fecerit, cetera omnia, etiam cum ipso coi- tu celebrata frustrantur.* Cum ergo inter istos consensus intercesserit, qui solus matrimonium facit, patet hos conjuges fuisse. *Iustum* verò seu legitimum, quia celebratum est juxta leges loci, in quo situm est.

366. Dices: matrimonium, in dato casu celebratum à Francigena contra consuetudinem, vel leges suæ patriæ, propterea fuisse approbatum, quòd nihil omiserit eorum, quæ consuetudo Francie substantialiter exigebat ad contractum nuptiarum; ex hoc autem non probari per cit. c. *de Francia*, & casum in eo contentum, quòd valor matrimonii non pendeat à consensu juxta consuetudinem, vel legem patriæ, quando consuetudo est legitime præscripta pro certis solennitatibus; cum per talem consuetudinem induci valeant

impedimenta etiam dirimentia matrimo- nium, ut constat ex c. *super eo, de Cognat. spir. c. Cum olim, de Cleric. conjugat. c. Quod dilecto, de Consang.*

Resp. nos aliud non velle in data su- 367. perius responsione, quàm valorem mat- rimonii non pendere à consensu, secun- dum consuetudinem Patriæ, quæ ibidem, ubi celebratur, viget, *quoad certas solen- nitates matrimonio non substantiales, cu- jusmodi sunt, dotis constitutio, &c.* Cæ- terùm, an consuetudo, vel lex aliqua Principum Laicorum, inducere, aut sta- tuere possit quædam impedimenta mat- rimonium, vel impedientia, vel etiam di- rimentia? inter AA. non convenit, ut videri potest apud Gonzalez in c. *1. de sponsal. n. 22.* de quo agemus infra *quæst. ult. p. 1.* Porrò nullam in hoc casu (de quo agitur in c. *de Francia*) fuisse legitimam in Francia consuetudinem, vi cujus in- validè contraxisset Francus, non obser- vatâ Francie consuetudine in ritu nuptia- rum, ex consequenti patet, quòd ma- trimonium ejus validum agnitiu fuerit, ut dictum est.

Si dicas: in præsentī casu Uxor non 368. fuit dotata, juxta leges Francie; ergo in præsentī casu nullum fuit matrimonium; ergo licetè nobilis ille Francus aliam du- xit; pat. conseq. Nam si matrimonium celebretur non dotatâ prius muliere, juxta leges, non matrimonium, sed adulte- rium, seu fornicatio est, ut ait Evaris- tus Papa in c. *Aliter 30. q. 5.* & ideo etiam in c. *nullum 30. q. 5.* dicitur: *nullum sine dote fiat matrimonium.* Propter quæ non immeritò aliqui existimârunt, ad substan- tiam, essentiamque matrimonii, dotem desiderari.

Ante respons. notand. leges, & statu- 369. ta laicorum *directè* disponentia circa sub- stantiam matrimonii inter fideles, inhi- bendo, vel impediendo, ubi Ecclesia non improbat, nec impedit, non valere; quia sic directè disponent de materia spectante ad Ecclesiam, qualis est substan- tia matrimonii fidelium, à Christo ad ra- tionem Sacramenti elevata. Sic Barbosa in c. *1. de spons. n. 5.* & constabit amplius in- fra: dixi *directè*. Nam, an *indirectè* pos- sint, inhabilitando aliquem ad validè con- trahendum? v. g. sine consensu magi- stratus, vel cum certæ nationis persona,

ut extra Provinciam? non omnes conveniunt. Aliqui hoc concedunt consuetudini legitime præscriptæ à Laicis, & Clericis simul, si matrimonium (eà non observatà) cum scandalo fieret; ita Salas de legibus D. 19. q. 97. tr. 14. sect. 10. Alii hoc tribuunt soli consuetudini Laicorum legitime præscriptæ; ita Sanchez. l. 7. bic D. 4. n. 10. Alii autem omnino negant, hanc vim, omni consuetudini Laicorum; sic Innoc. in c. super eo, de Cognat. spirit. & alii: sed v. q. ult. p. 1. Idem posse Principem Laicum per leges suas, affirmant alii, alii negant, de quo agemus infra. Id porro ab Ecclesia, summoque Pontifice fieri posse, certum est, ut const. de impedimento Raptus, & clandestinitatis: quibus positus.

370. Resp. Constitutionem dotis non esse de substantia matrimonii. Et ideo gloss. in cit. c. nullum, apud Barbosam *ibid.* n. 1. ait: constitutionem dotis esse consilium, atque adeo sine dote posse matrimonium celebrari, dicitur L. ult. C. de Repudiis; quod etiam procedit de jure Canonico, ut habetur in c. per vestras. 7. de Donat. inter Vir: ubi Innoc. 3. dicit: *Vir, post cautionem, dandam esse dotem, ne occasione detente dotis separati conjuges adulterentur.*

Neque hoc probat c. Aliter. Plura enim inibi enumerat Evaristus, quorum defectu dicit matrimonium initum, *con-tubernium potius &c.* hoc enim non propterea dicit, quod in re matrimonium non esset, sed quod non esset *solemne*, & distinctum à concubinato, non vitioso (qualis est concubitus liber cum muliere, nec solemniter, nec minus solemniter ducta in Uxorem) sed olim permisso nimirum cum muliere, verè, sed minus solemniter ducta in Uxorem, ut exposuimus q. 1. p. 1.

## §. 2.

*An consensus contrahentium debeat simul existere?*

371. Resp. ad matrimonium, nec quæ contractus, nec quæ Sacramentum est, requiri substantialiter Physicam, & realem coexistentiam mutui consensus contrahentium, sed sufficere solum moralem.

Ratio est, quia utrumque celebrari potest inter absentes per epistolam, Procuratorem &c. ex dict. Deinde Sacramentum stat, esto non omnes ejus partes existant actu & realiter, sed tantum moraliter, ut patet in Sacramento poenitentia, ubi Sacramentum fit posità absolutione, perseverante solum habitualiter actibus poenitentis. Ita Communis.

Dices 1. cum Panormit. in c. dilectus, 372. de sponsal. uterque consensus complet contractum, & est causa traditionis, & acceptationis; ergo uterque simul debet existere. Deinde, de utriusque consensu constare debet Parocho, & Testibus, saltem ubi per Tridentinum non valent matrimonia clandestina; sed nisi uterque sit simul, hoc fieri non potest. Nam licet consensus per epistolam, vel Procuratorem præstetur, tamen, si interim à Principali fuisset revocatus, talis consensus non valeret, ut constat ex c. fin. de Procur. in 6. ibi: *sanè, si Procurator, antequam contraxerit, fuerit revocatus, contractum postmodum matrimonium ab eodem (licet tam ipse, quam ea, cum qua contraxit, poenitus ignoraret) nullius momenti existit; cum consensus defuerit, sine quo firmitatem habere nequit.*

Resp. ut consensus compleat contractum, sufficere illius existentiam habitua-lem; sic, qui hodie donat Petro, & per epistolam eidem intimat donationem, donatio completur, quoad vim obligandi, & rationem contractus gratuito solum post epistolam, & donationem acceptatam, animo donandi in donante solum habitualiter perseverante, ut const. ex multis aliis; & ex ipso textu ex c. fin. Nam si consensus non fuisset revocatus, matrimonium valeret; & tamen solum moraliter tunc extitisset. Cæterum consensus contrahentium nec traditionem nec acceptationem causat Physicè, sed solum moraliter, idque ad summum. Nam traditio, & acceptatio re ipsa fit per ipsum consensum mutuum, quo quolibet alteri promittenti repromittit, ut dictum est supra; ergo nec isto titulo requiritur, utrumque simul existere realiter, & actu; sed sufficit, unum esse habitualiter, quando alter acceptat promissionem sibi factam, & repromittit.

Ad

174. Ad alterum Resp. ad Sacramentum matrimonii sufficere, quod consensus intertus habitualiter perseveret, & de illius externa manifestatione Parocho, & Testibus constet, licet non constet eis *veritas* signorum: sic etiam absolventi constare debet dolorosa confessio penitentis, & tamen ad Sacramentum penitentiae sufficit, quod illa interna animi dispositio penitentis habitualiter perseveret, ac de illius externa manifestatione sacerdoti constet, licet non constet ei veritas signorum. Unde sicut his ritè positis verè fit Sacramentum penitentiae; sic ibi fit verè Sacramentum matrimonii, etiam juxta Tridentinum.

175. Neque dicas: quando actu existit totum, debent actu existere omnes ejus partes; sed utriusque consensus est pars matrimonii, & hoc actu existit, quando contrahentium consensus per verba de presenti exprimitur coram Parocho, & Testibus; ergo tunc utriusque consensus debet actu existere. Hoc argum. habet innumeras fallentias tam in Philosophia, quam Theologia, imò & in moralibus, ut patet consideranti. Quare dico, id procedere de illa existentia partium, quam exigit totum actu existens, secundum quod est actu; non autem de alia. Cum ergo non omne totum, dum ipsum existit actu, sit totum Physicum, secundum omnia inclusa in illo existens actu Physicè, & realiter, ut patet in pluribus contractibus, & Sacramentis, aliisque concretis physico-moralibus, sufficere ejus partes existere taliter, prout totum ex eis constatur exigit, nimirum moraliter, habitualiter, vel etiam physicè, nec semper de presenti, sed secundum quod in toto importantur, ac existere ab eodem exiguntur; quod aliundè in casu nostro habetur per consensum præteritum, non retractatum. Difficultas est, quando tempore inter se distare possint consensus contrahentium, ut adhuc retineant moralem simultatem? in hac quaestione judico, cum matrimonium, etiam in quantum est Sacramentum, de materiali explicet contractum civilem, sufficere illam simultatem moralem in hoc casu, quæ sufficit, ut sit contractus civilis per consensum duorum, qui non eodem simul tempore, sed per intervallum, & suc-

Tom. IV.

cessivè in idem consenserunt, consensu prioris, dum consentit alter, adhuc habitualiter perseverante, seu physicè præterito, & non retractato, vel expressè, vel tacitè.

## §. 3.

*Qualiter consensus contrahentium exprimendus sit?*

Consensum internum exterius manifestandum esse in contractu matrimonii ex dict. const. Et ratio est, quia *intentio mente retentâ nihil operatur in humanis contractibus, L. Non omnis. 15. ff. de rebus credit*; quod confirmatur ex eo etiam, quia matrimonium fidelium est Sacramentum, hoc est, *signum sensibile* gratiæ sanctificantis, ut dictum est supra ex Trid. *sess. 24. de reform. c. 1.* & continet mutuum consensum ab utroque acceptatum, quod non stat sine promissionis internæ externâ manifestatione; loquimur autem de matrimonio purè, non sub conditione contracto; nam de hoc dicemus in *tit. 5. de condit. appost.* Hinc quando in *c. Cum locum 14. de sponsal.* dicitur matrimonium *solo consensu* contrahi, intelligitur de consensu (prout opponitur *coactò*) nimirum libero, non autem, prout opponitur *expresso* quasi diceret, sufficere consensum *merè internum*: tum quia ibi non de hoc, sed de consensu libertate agitur; tum quia satis alibi declaratum est, consensum esse externè manifestandum. Et sic etiam exponendi sunt alii textus, quibus probari posse videtur, non requiri consensûs manifestationem. Sic quando in *c. fin. de sponsa duorum* dicitur, *solo consensu* matrimonium contrahi, solum excluditur copula, tanquam non pertinens ad substantiam matrimonii; non autem consensus expressio.

Difficultas est, *an expressio consensus per verba propriè dicta* in contractu matrimonii sit de necessitate mediæ, vel saltem, de necessitate præcepti, in his, qui loqui possunt? utrumque affirmant aliqui apud Sanchez. *l. 2. hic D. 31. n. 2.* sed contrarium probabilius est, cum id nec exigat ratio contractûs (hic enim stat consensu præterito per quæcunque signa sufficienter ejus expressiva) nec ratio Sacramenti, cum muti fideles, solis nutibus validè

N

contra-

contrahant. Et ideo rectè resolvit de Luca Libr. 14. p. 2. de Matrim. discurs. 2. n. 14. receptum esse, ut consensus mulieris etiam nutu, & signis explicari possit, quamvis contrahens loqui valeret; quoniam sæpius modestæ puellæ non audent loqui.

378. Dices: Ecclesia instituere potuit, consensus expressionem per verba propriè dicta, tanquam formam substantialem; sed sic instituit; ergo expressio consensus per verba propriè dicta, est de forma substantiali, consequenter necessitate medii. Min. const. ex C. Tue 25. de spons. ibi: *sed necessaria sunt quoad Ecclesiam verba*, id est, ex institutione Ecclesiæ. Sed Resp. ex dictis, nec in his, qui loqui valent, verba propriè dicta, esse de necessitate medii. Pro non valentibus loqui, verba non requiri substantialiter, definitum est, in c. Tue cit. de valentibus loqui, constat ex pluribus locis. Nam. 1. si Pater locò Filia suæ præsentis, nec contradicentis, contraxit, de jure antiquo valebat matrimonium C. Unico, de despons. impub. in 6. similiter, si Sponsus post Sponsalia de futuro carnaliter eognovit, Sponsam, eodem jure factum est matrimonium, etiam quantum est ad Ecclesiam pro foro externo. c. Veniens, c. is, qui; c. per tuos: c. illud, de sponsal. & tamen hæc omnia fieri poterant sine verbis propriè dictis. Nec obstant ea verba: *quantum ad Ecclesiam*; hoc enim solum exigitur, ut Ecclesiæ constet de consensu contrahentium, qui securius, quando fieri potest, verbis, quam nutibus exprimitur.

379. Nec urget, quod CC. Florent. dicat (loquens de Sacramento matrimonii; postquam dixit, *in omnibus Sacramentis, res esse materiam; verba, formam*) addiderit, quod matrimonii causa efficiens sit consensus, *regulariter per verba de præsentis expressus*, quasi tacitè innueret, non semper requiri verba (in his scilicet, qui non possunt) *regulariter* tamen, nempe in illis, qui loqui possunt. Nam ly *regulariter* malè applicatur in objectione illis, qui loqui valent, quasi denotet, necessitate medii sic ab illis fieri debere; cum potius denotet, sic fieri *communiter*, quia propè ordinariè contingit, celebrari matrimonia per consensum, verbis voce prolatis, manifestari; quamvis in ali-

quibus casibus fallat, ut notat Pereyra cit. ad V. *Regulariter*. l. 1. Elucid. 5. n. 83. Et ideo sufficit per Trident. *sess. 24. hic de Reform. c. 1.* quod Parochus contrahentium consensum *intellexerit*, id quod verum est, licet solum annuerint, ejus interrogationi. Ad rationem in object. positam constat ex n. priori. Quare nec necessitate præcepti, verba propriè dicta, requiri ad matrimonium substantialiter ex eo constat, quòd nullum exter præceptum ad id etiam leviter obligans de jure communi. Quibus porò verbis, aut factis sufficienter exprimat de præsentis, colligi generaliter potest ex jam dictis. Nam juxta diversas regiones, & gentes, diversa signa sunt,

## S. 4.

*Quam deliberationem exigit consensus matrimonii.*

Pro resolutione supp. 1. *deliberare* 380. idem esse, ac *perpendere*, & *definire*, quod proprium est intellectus. Hinc idem, actus voluntatis dicitur *liber*, & *deliberatus*; & quidem *liber*, à voluntate; *deliberatus*, ab intellectu pendente agendorum, vel omittendorum convenientiam, vel disconvenientiam, ac definiende actionem, vel omissionem, juxta meritum vel demeritum agendorum, vel omittendorum, ut notat Pereyra in *Elucidario* l. 1. *Elucid. 3. sess. 1. n. 44.* supponend. 2. tres motus in voluntate nostra considerari posse: *Unum*, qui prævertit omnem usum rationis, & subitò consequitur, vel solum sensum corporis, aut imaginationem; *alterum*, qui quidem, prævertit *plenam* rationis consultationem, aliquem tamen rationis usum subsequitur: *tertium* demum, qui consequitur ad plenum seu perfectum rationis usum. Motus primæ classis, qui nimirum ante omnem rationis usum, solo sensu, vel imaginatione duce, consequuntur, rectè vocantur motus *primo primi*; secundæ classis (qui scilicet aliquem, sed imperfectum rationis usum sequuntur) dicuntur *secundo primi*: qui verò ad perfectum rationis usum, simpliciter deliberati; ita Pereyra cit. f. 4. 61. & Azor. p. 1. l. 4. c. 5. q. 3.

Sup-

381. Suppon. 3. motus primò primos nec deliberatos, nec imputabiles esse; quia nec deliberatum, nec voluntarium, adeoque nec imputabile esse potest, quod prævertit omnem rationis usum; cum sine hoc non stet libertas in voluntate creata, quæ, ut rectè observat Izquierdo, de DEO Uno D. 35. q. 1. n. 31. nihil efficaciter, ac liberè prosequitur, aut positivè fugit, nisi persuasa esse sibi, vel non esse conveniens.

382. Supp. 4. motus secundo primos non habere sufficientem deliberationem ad peccatum grave (non quidem ex levitate materia) sed ex imperfecta rationis advertentia, & inquisitione; sic Azor cit. Pereyra cit. n. 6. & communis. Nam cum peccato mortali dissolutio divinæ amicitia, ac æterna poena debeatur, non est par credere, tantæ jacturæ, ac supplicio etiam æterno, hominem, absque perfecta, & plena consideratione, poenalter obnoxium fieri, sine plena consideratione causæ tantorum malorum, demeritorie apud DEUM, bonum summum, in tanta naturæ humanæ fragilitate, & tot sensibilium illicio propè continuo; ita P. Henricus Herdink in Tract. M. S. de Legib. q. 3. a. 1. Vir æquè timoratus, ac doctus, præsertim in moralibus; his præmissis.

383. Resp. quòd promissio, sufficiens ad Sponsalia non solum de præfenti, sed etiam de futuro, exigat deliberationem plenam, & perfectam. Cum enim, etiam Sponsalia de futuro, saltè regulariter (ut docet communior sententia) graviter obligent, eam deliberationem exigit voluntarium promissionis Sponsalium constitutum inesse promissionis deliberatæ, quam exigit voluntarium graviter obligans; sed hoc exigit voluntarium plenè deliberatum ex priori numero; ergo & illud. Maj. probatur: Quia Legislator, nec in levi materia, prudenter, validèque constitueret aliis legem publicam (quæ vellet illos obligari) ex voluntario cum semiplena solum advertentia, & imperfecta consideratione finis, qui ab eo, in constitutione talis legis, jure quærendus est, sic enim foret parùm rationabilis, cum talis constitutio privet subditos libertate suâ naturali, quæ est magnum, & proprium hominis bonum. Qui autem

Tom. IV.

etiam in levi materia sibi voluntariè imponit obligationem, est instar Legislatoris sibi condentis legem privatam; ergo nec hic prudenter, & validè constituit sibi legem privatam, quæ vellet, se obligari, ex voluntario cum semiplena solum advertentia, & imperfecta consideratione finis, qui etiam in ejusmodi legis privatæ constitutione quærendus est; aliàs enim, æquè irrationabile foret hoc, atque illud. Ex hoc deducitur ad inducendam obligationem voluntariam (quam quis sibi liberè imponit etiam in materia levi) requiri motum voluntatis, seu promissionem ex deliberatione plena; nec sufficere voluntarium imperfectum, seu semiplenum ex deliberationis imperfectione. Sic Haunoldus tom. 3. de Jure, & Just. Tract. 9. c. 1. n. 9. Ratio constat ex num. præced.

Dices. Ad contrahenda Sponsalia, de 384. jure sufficit in contrahentibus septennium, ut const. ex c. Litteras 4. de spons. impub. ibi: si, postquam puella septimum annum complevit, predictus Vir matrem ejus puellæ, quam sibi prius desponsavit, cum Sponsalia ex tunc placere consueverint, inter eos, Virum scilicet, & Matrem puellæ, sententiam divortii non diffemas promulgare. & C. accessit. 5. ibi: quia desponsationes & matrimonia ante septem annos fieri non possunt, si consensus postea non accedit: C. ad dissolvendum; de spons. impub. at in illa ætate non est deliberatio plena, & perfecta; ergo sufficit voluntarium imperfectum. 2. ad violandam obligationem sufficit advertentia semiplena; ergo etiam ad inducendam. Deinde ad votendum sufficit tale voluntarium, ut constat ex c. sunt, qui opes. 17. q. 4. & C. Venientis, de Voto, ubi Pontifex votum nimia facilitate in ætate tenera conceptum, non pronuntiat nullum, sed solum commutat; ergo.

Resp. Cum dist. majorem: sufficit 385. septennium, quantum est ad Sponsalia præsumpta, C. in re, vera, & valida semper etiam in fore poli. N. universaliter maj. Probatio I. ex c. Litteras nihil juvat; nam ex c. litteras, nihil evincitur; ibi enim solum dicitur, non nasci impedimentum publicæ honestatis ex Sponsalibus contractis cum minore septennio, quia prius non præsumitur adesse judicii maturitas ad obli-

N 2

obli-

obligandum se graviter per Sponsalia. Secunda ex c. *accessit*; similiter solum probat matrimonia, & desponsationes ante septennium fieri non posse. Idem habetur in c. *ad dissolvendum*. Ex his autem aliud non colligitur, quam Sponsalia contrahi non posse ante septimum ætatis annum, idque propter immaturum adhuc iudicium in ea ætate; non autem in re, & foro poli valere Sponsalia, completo septennio, si adhuc abesset maturitas iudicii ad se obligandum necessaria; quamvis jure tunc adesse præsumatur, & Sponsalia in hac ætate inita, quoad effectus juris pro validis haberentur in foro fori. Quare negandum est, Sponsalia contracta post septennium, etiam in foro externo valitura, si constaret esse concepta ex deliberatione solum imperfecta.

386. Paritas à transgressione ad impositionem obligationis, & legis, non tenet. Nam ad illam sufficit, rem prohibitam vel omissionem rei præceptæ nobis esse voluntariam aliquo modo, etiam imperfectè; sic enim operans jam aliqua ratione per suam libertatem declinat à recto: hoc autem non sufficit, ut prudens Legislator condat legem obligantem, & subditis restringentem nativam omnibus libertatem, nisi prius benè perpendat, an conducat, vel potius oblit communi bono, quod directè respicit potestas legislativa. Dixi: ad transgressionem legis *sufficere advertentiam semiplenam*; quod intellige de transgressione solum *venialiter* culpabili; non verò *mortaliter*, ut notavi. n. 382. sed nec ex c. *qui opes*, probatur, ad votendum sufficere advertentiam solum imperfectam. Nam ibi aliud non dicitur, quam quòd illis hominibus, qui suas opes ex quodam mentis impulsu, non iudicio perpetuo (nimirum firmo, & stabili) obtulerunt Ecclesiæ, ac subinde rursus repetere volebant, *talis donatio non fuerit fructuosa*; ex quo potius sequitur contrarium; si enim ille mentis impulsus absque iudicio discretionis conceptus non fuit illis fructuosus, ut ait textus; multò minus erit fructuosus votenti ex ejusmodi mentis impulsu non discreto. Nec juvat postremum ex cit. c. *Venientis*. Nam Pontifex votum nimia facilitate conceptum in ætate tenera non commutavit propterea,

quòd judicaverit, non obstante illa facilitate, votum verè emissum esse; sed solum; ut supplicentem dubitationi eriperet, si fortè vel tunc, quando promissionem concepit, cum sufficienti discretionem operatus esset; vel postea ratificasset. Accedit, quòd Pontifex votum ultramarinum in ætate tenera, *facilitate potius, quam ex arbitrio* discretionis emissum, declaraverit *obligatorium*, non quòd tunc sufficiens iudicium adfuerit ad valorem; sed, ut notat Gloss. in c. 2. de *Voto*, V. *in puerili*, quia vel erat doli capax, alioquin compensatio (ut toto vitæ tempore provideret eleemosynis uni pauperi) non erat illi imponenda; vel forsitan in majori ætate ratum habuit.

Dicendum igitur. 1. ad valorem Sponsalium de futuro, etiam si obligarent, solum sub culpa levi, non sufficere promissionem susceptam ex deliberatione solum imperfecta; adeoque requiri promissionem plenè deliberatam; sic Gobat in *Theolog. experiment. tract. 10. n. 3.* requirens ad votum animum *plenè deliberatum*, quod sit cum tanta advertentia iudicii, quanta requiritur ad peccandum mortaliter; imò ut apud eundem docet Bonac. de *matr. q. 1. p. 4.* quandoque etiam majori, cum sit res, quæ involvit non tantum præsentia, sed etiam futura, sæpè non satis nota. Ratio autem est ex dictis à n. 383.

Dicendum. 2. nec sufficere illam deliberationem, quæ sufficit ad meritum, vel demeritum, ut vult Castropal. D. 1. de *spons. p. 2. n. 4.* Nam demeritum haberi potest etiam per peccatum leve, ad quod sufficit advertentia etiam imperfecta; hoc autem non sufficit ad imponendam sibi legem privatam, seu obligationem, etiam in materia levi ex n. 386. ex quo à fortiori sequitur, ad Sponsalia de præsentia, seu matrimonium requiri consensum plenè deliberatum; cum per eum contractantes imponant sibi legem perpetui statùs, graviter obligantem; ita Communis: quamvis in dubio, an adfuerit sufficiens deliberatio? præsumatur adfuisse, ut docet Panorm. in c. *dudum. 8. de convers. Conjugat.* quia est naturalis qualitas hominis, usum rationis expeditum habentis.

## ARTICULUS III.

## De libertate ad valorem matrimonii necessaria.

Non est dubium, non tantum ad Sponsalia de presenti, sed etiam de futuro, requiritur libertatem, seu voluntarium simpliciter (saltem quoad substantiam consensus) quo Sponsalia confurgant. An autem ad hoc sufficiat solum voluntarium simpliciter, an etiam requiratur libertas, immunis ab errore, coactione, vi, & metu, vel raptu? dubitatio est. De singulis igitur dicemus breviter, quaestione circa errorem, remissa ad Tit. 9. de conjugio servorum.

S. 1.

## Quid in desponsationibus operetur vis, seu coactio absoluta?

389. Pro resolut. not. ex Pereyra in *Elucidario l. 1. elucidatione 3. f. 2. n. 54.* verbum cogere in iure communiter usurpari pro compellere. Unde Sylvester V. *Coactio* duplicem distinguit Coactionem; unam absolutam (& dicitur *praecisa*) cui quis resistere non potest; ut, cum quis violenter, & cum impetu in eum facta, trahitur ad aliquid faciendum v. g. ad sacrificandum idolo: alteram *conditionalem*, qua quis compellitur unum e duobus eligere; v. g. *vel subire mortem, vel negare fidem Christi.* Eodem modo *vis* duplex est, *absoluta* scilicet, & *conditionalis*, quamvis non semper per vim compulsio fiat, impetu in eum, qui compellitur, facta; sed solo metu mali, certo, vel probabiliter impendentis incusso, ut compulsus praestet, quod petitur, si malum ceteroquin impendens velit evadere.

390. Supp. autem per *vim*, seu *coactionem* conditionalem, atque adeo per *metum*, etiam injuste incissum (ut si quis, vel mori, vel Idolis sacrificare compellitur) non tolli voluntarium simpliciter, adeoque nec culpam contra legem naturalem, vel divinam, ut pat. ex c. *Presbyter 32. dist. 50.* juncta gloss. V. *Presbyter*, ubi Presbyteri, vel Diaconi, qui taliter coacti immolaverunt Idolis, cessare jubentur ab omni sacro ministerio, licet eis (post poenitentiam) honorem sedis propriae retinere

concedatur; secus est de vi, & coactione *absoluta*, seu violenta, cui scilicet resistere non poterant. Nam de his ibid. S. *Qui autem fugientes; junct. gloss. V. eod.* expressè dicitur, *eos, si, taliter coacti demonibus immolarunt, non peccasse, & nullo modo puniendos esse.* Idem habetur in C. *contra Christianos, de Hæret. in 6.* ubi Bonifacius VIII. Episcopo quaerenti, an contra Judæum (qui post susceptum baptismum ad ritum Judæorum rediit negato Christo) procedere possit, tanquam contra hæreticum, licet alleget, se *coactè* baptizatum esse? respondit, posse, licet baptismum suscepit, *coactus*, mortis metu (seu ut loquitur glossa ibid. V. *contra*, licet coactio fuerit *conditionalis*) secus; si fuit *coactus absolute*, seu præcisè, quia tunc baptismum non recepit; ad quod in adulto recipiente baptismum, requiritur voluntarium; quod vi absoluta, non conditionali tolli, Innocentius resolvit; his præmissis:

Resp. Sponsalia non tantum de præ- 391. senti, sed etiam de futuro, contracta per vim absolutam, esse iure naturali nulla, & irrita. Nam sine consensu libero, seu voluntario simpliciter, omni iure sunt nulla; sed quando contrahuntur per vim absolutam, deficit consensus liber seu voluntarium simpliciter ex n. 390. ergo. Et hoc procedit undecunq̄ue jus illa proveniat; sive ab ipso contrahente altero, aut ab alio tertio, sive directè ad extorquendum consensum, sive ob alium finem; quia stante tali vi, undecunq̄ue proveniat, voluntarium simpliciter non habet locum. Ex quo sequitur, vim, & coactionem absolutam esse impedimentum iure naturali dirimens, non tantum Sponsalia de futuro, sed etiam de presenti; cum eâ stante deficiat voluntarium simpliciter, sine quo nec Sponsalia de futuro, nec de presenti consistere possunt.

S. 2.

## Quid in desponsationibus operetur coactio conditionalis, seu metus?

Pro resolut. not. coactionem conditionalem, seu metum supponere posse, vel pro actu intellectus, vel pro actu voluntatis;

N 3

tatis; primo modo est opinio impendentis mali; secundo modo est fuga mali verosimiliter futuri. Metus affinis est ægritudini, prout hæc in animo residet. Nam sicut ægritudo, est mali præsentis, sic metus est mali futuri. Quoniam autem malum verosimiliter impendens, potest esse leve, aut grave, metus quoque alius est levis, alius gravis. *Levis* est, 1. si malum est leve, etiam respectivè. 2. si quidem est grave, sed immeritò ac imprudenter timetur. *Gravis* est, si malum sit grave, vel secundum se, vel saltem respectu talis personæ; & meritò, prudenterq; creditur, impendèrè sibi, vel aliis personis conjunctis, ut Parentibus, Uxoribus, liberis, consanguineis, & affinis, imò & domesticis, ut nor. Sanchez. l. 4. Matr. D. 1. n. 10. D. 3. n. 2. & D. 4. n. 3. tunc autem prudenter creditur, malum imminere, quando is, qui minatur, potest illud inferre, & communiter solet minas exequi, qualiter etiam in Tract. Theologico de spe dixi, tunc rem desideratam prudenter sperari, quando is, à quo spero, seu rem illam desidero, potest, & vult dare. Et ideo dixi, spem esse desiderium expectativum.

393. Si malum, quod metuitur, est tale, ut illud etiam Virum cæteroquin constantem, hoc est prudentem, & discretum non perperam, nec absque prudenti ratione conterreat, sine nota dedecoris, inconstantia, & dimissæ fortitudinis, metus ejus dicitur *cadere in constantem Virum*; in quo tamen semper subjecti ratio habenda est, cum respectu unius, malum impendens, possit esse tale, ut relatè ad tale subjectum meritò grave, ac sine nota inconstantia prudenter timeri possit; non relatè ad alterum. Quare sufficit metus, etiam, qui cadat in constantem feminam; sic Barbof. in c. Consultationi de spons. n. 5. Certum enim est, mulieres, etiam constantes, regulariter, & spectatà sexus imbecillitate, metu mali (quod respectu Viri tantum non est) facilius ad quædam cogi, quæ vir cordatus non faceret. Hinc quando in c. cum dilectus 6. de iis, que vi, in rubrica dicitur: quod metum passò non subveniat, si non fuit talis, qui possit cadere in constantem Virum, non intelligitur solum de metu mortis, sed de quovis metu gravi, pro rei qualitate, Judicis arbitrio

tali, ut not. glossi. in dict. c. Cum dilectus V. metu mortis. Unde quando glossi. ibidem in casu dicit: quod metus non continens malum mortis, vel cruciatum corporis, non excuset, nimirum à voto emissò, de metu gravi, intelligenda est; & cum dicitur, contractum esse irritum, vel irritabilem, quando celebratur ex metu cadente in constantem Virum, non est in hærendum illis verbis (cum ea verba ex usu potius, & proverbii loco dicantur) sed accipienda sunt, pro eo metu, qui respectu talis subjecti non vanus, & levis est.

394. Porrò inter mala, quorum metus cadit in constantem Virum, non tantum est mors & mutilatio; sed etiam regulariter sequentia, nimirum carceratio, terror armorum, captivitas apud hostes, amissio omnium facultatum, vel majoris, aut notabilis partis; amissio magnæ dignitatis, vel officii acquisiti, vel cum bona spe acquirendi, cruciatus gravis, excommunicatio injusta, importunæ preces Principis, vel parentum, præsertim solitorum liberos voluntati suæ reluctantes acerbè tractare, ac odisse; de quibus Vincentius de Justis l. 2. Dispensat. matrim. c. 12. à n. 31.

395. Not. autem. 2. malum, quod metuitur, atque adedò metum ejus, provenire posse à causa, vel naturali, aut libera; si provenit à causa naturali, dicitur metus incussus ab intrinseco; si à libera, incussus ab extrinseco: ab hac autem metus incuti potest, justè vel injustè, seu cum injuria metum patientis; quod fieri potest. 1. directè, seu ex intentione ad eum finem, ut incutiens extorqueat à me consensum v. g. in talem contractum; vel indirectè, ob alium finem, v. g. ut idolo sacrificem, ex quo fit, quòd ad declinandum illud malum, metum passus, eligat consensum in aliud, directè non intentum ab incutiens metum; his positis,

396. Prima quæstio est, an vota, promissiones, aut contractus jure naturali sint invalidi, si propter metum gravem, à causa naturali proveniente, incantur? Resp. negativè; aliàs enim omnia vota, & juramenta, facta timore mortis in gravi morbo, vel imminenti in tempestate periculi emissà, forent irrita jure naturali, quod est contra communem, Sic Lessius l. 2.

l. 2. de Just. c. 49. d. 3. n. 16. Azor p. 1. Instit. moral. l. 2. c. 5. q. 9. & alii, quos cit. & sequitur Barbof. in c. sicut nobis de Regularib. Et ratio est, quia nullo jure ad ejusmodi contractus requiritur voluntarium immune à tali metu, etiam gravi, ut const. ex c. sicut nobis. 17. de Regul. ubi, cum Clericus, in infirmitate desperans de ulteriori vita, Religionis habitum, assumpsisset, & eam saltem tacite professus esset, recepta valetudine, quæ professus erat, observare noluisse, Innocentius III. respondit: quod, si regularem habitum se postulante suscepit, & ad observationem religionis Canonice suâ se professioneligavit, ad resumendum habitum Ecclesiasticum est distinctione cogendus, cum quod tanto tempore extra Canonicam mansit, non in excusatione ejus, sed in majoris transgressionis augmentum merito valeat allegari. Ex quo deducitur, nec Sponsalia de futuro, nec etiam de presenti jure naturali eo titulo invalida esse, quod iniuncta sint ex metu gravi, naturaliter, seu à causa naturali proveniente, ut tenet communis.

377. Quæstio est secunda, an ad Sponsalia tam de presenti, quam de futuro sufficiat consensus, ex gravi metu extrinsecus, sed justè, incusso à causa libera v. g. à legitimo Judice in poenam delicti? Resp. affirmative; nam contractus, etiam irrevocabiles, postquam semel validi sunt, nec jure naturali, nec jure positivo, ultra voluntarium simpliciter, exigunt consensus alium, quam voluntarium immune à gravi metu, extrinsecus cum injuria directè incusso ad extorquendum consensus, ut constabit ex seqq. Sed in tali casu adest ejusmodi voluntarium. 1. ut liquet ex casu; & ratio est, quia quoties contractus jure irritus aut irritandus dicitur propter metum, jura loquuntur solum de metu injustè incusso. Secundo in c. cum dilectus. 6. de iis, quæ vi & c. cum Canonici Insularum, votum observandi regulam Cisterciensium, & non impedendi translationem suam ad illos Ecclesie, edidissent, postea verò id implere renuerent, causantes, se violentiâ, & dolo inductos, re delatâ ad Innocentium III. is rescripsit: quia constitit nobis de voto emisso, & de præstito juramento à Canonici Insularum, quod regulam Cisterciensium,

observarent, vel transactionem ipsius Ecclesie ad ordinem illorum nullatenus impedirent, cum utrumque servatum non vergat in dispendium salutis æternæ, nolentes viam perjurii aperire, non obstante violentiâ, quæ proponebatur illata, cum neq. metum mortis, neq. cruciatum corporis contineret, & ideo non debuerat cadere in constantes. Nec obstante dolo, pro quo se proponebant fuisse seductos: cum talis dolus non tam ad circumventionem prædictorum quam ad fatuitatem eorum debeat extorqueri, super restitutione petiti à silentio eis duximus sententialiter imponendum. Ex quo textu sequitur, voto non obesse consensus ex dolo prudenter contemptibili. 2. nec metum etiam gravem, sed justè incussum, qualis erat in hoc casu metus excommunicationis justæ, ac medicinalis, ut notat Gloss. ibid. V. Violentia; ergo idem dicendum venit de Sponsalibus tam de futuro, quam præsentibus; cujus ulterior ratio est, quia secus plurima matrimonia forent nulla, quæ tamen passim valida habentur ab omnibus, cum hodie frequentissimum sit, iniuri matrimonia spe opum, promotionis, ac metu etiam gravi non habendi aliâs decentis connubii &c. nunquam cum hac, vel illa ineunda, nisi metueretur defectus mediocrius, vel non acquisitio talis promotionis, lucri, &c. quod maximè fit inter illustres.

## §. 3.

## Quid in desponsationibus operetur metus levis?

Quæstio procedit de metu levi injustè, ac directè incusso ad obtinendum consensus in desponsationem de futuro, vel præsentem. Resp. tali metu nullam desponsationem esse irritam jure naturali. Sic Lessius l. 2. de Just. c. 17. d. 6. n. 46. & alii. Quia nullus ejusmodi contractus, licet ex levi metu injustè incusso etiam directè ad obtinendum consensus, celebratus, irritus est jure naturæ, licet non amplius rescindi possit, postquam semel validus est. Nam talis metus, cum levis sit, est potius prudenter contemptibilis, quam ut ejus declinandi causâ malum gravius eligatur; nec valor contractus continet malum præponderans inconvenientiis,

tis, quæ sequerentur, si jure naturæ in principio invalidaretur. Sic enim nulli propè contractus, vel matrimonia, jure naturæ firma essent, cum rarò fiant absque levi dolo, vel metu, ut patet confidenti; hoc autem non sequitur, si jure naturæ validi sint: Ergo.

399. Resp. 2. idem dicendum esse spectato jure positivo; sic Lessius cit. Nam etiam jus positivum metum levem pro nihilo reputat, ut const. ex *L. nec timorem. 7. ff. de eo, quod metus causa. l. metus. eod. ibi: Metus vani hominis non est spectandus; sed is qui in constantissimum cadit.* Idem reg. *Vani. ff. de Regul. jur. ibi: vani timoris nulla est excusatio;* ita Doctores passim, & apertè colligitur ex *C. Cum Dilectus. 6. de iis, quæ vi;* ubi rejicitur violentia & dolus, tanquam levis, quo Insularum Canonici nullitatem sui voti probare volebant; & *c. Insinuante. 7. Qui Clerici vel Vocantes, ibi;* Nos igitur attendentes, quod in emissionem voti, quod præcessit, nulla, vel modica coactio affuisset.

400. Tamburinus tamen. *l. 1. in Decal. c. 2. §. 5.* docet, omnes contractus, qui obligant ex justitia, jure naturæ irritos esse, si celebrati sint metu gravi injustè incusso, ex sine consensum extorquendi. Rationem dat, quia nec in Physicis ex vitio nasci potest actus virtutis; nec in metaphysicis, ex differentia leonis oriri potest risibilitas: ergo nec ex injustitia nasci potest justitia, seu obligatio ex justitia. Hoc confirmat sic: quia cum accipiens aliquid, extortum per metum, statim restituere tenetur, signum est, contractum esse nullum; aliàs foret opus expectare Judicis irritationem.

401. Verùm, si hæc ratio valet, etiam metu levi injustè incusso ex sine consensum obtinendi jure naturæ irritæ erunt desponsationes, ut dicemus infra. Quare meritò negatur, quòd ex contractu, vel consensu per injuriam extorto, jure naturæ nasci non possit obligatio justitiæ. Ad allatam probationem ex Physicis. Resp. 1. si valet argumentum Tamburini, ex eo etiam sequi, quòd ex Sacramento validè, sed sacrilegè, nimirum cum vitio contra religionem, confecto, non possit nasci gratia; vel justitiæ obligatio; nimirum virtus, aut virtutis obligatio ex vitio, seu actu vitioso, quod tamen fallit. Quia

Sponsi conscii culpæ gravis, celebrantes matrimonium cum intentione conficiendi Sacramentum, ex hoc contractu, quantumvis vitioso, & sacrilego, contrahunt obligationem virtutis, etiam justitiæ. Deinde Pontifex in *C. Cum dilectus, de iis, quæ vi,* vult à Canonicis Insularum adimpleri suam promissionem, non impediendi translationem suæ Ecclesiæ ad Cistercienses (licet allegaverint, seu inductos violentiâ, & levi dolo) quia violentia, & dolus levis erat, & prudenter timeri non debebat.

Deinde cur ex consensu per injustitiam (præsertim levem) extorto, nasci non potest obligatio justitiæ, si non tollit consensum simpliciter liberum? an quia injustitia justitiæ contrariatur? sed hoc non probat; nam ex dissimilitudine duorum nasci potest similitudo eorundem, cum in hoc conveniant, similiaque sint, quòd sint dissimilia; & ex mendacio ac errore nasci potest sermo verus. Si enim quis errans circa objectum, illud mendaciter afferat, verum dicit. Ut si quis per errorem judicet *Petrum esse furem*, cum non sit; & deinde mendaciter dicat (nimirum contra mentem, seu iudicium internum) *Petrum non esse furem*, verum, dicit.

Demum not. obligationem justitiæ, quam importarent Sponsalia extorta injusto metu levi, non nasci ex injustitia immediatè, sed tantum mediante consensu libero, per injuriam illam extorto; immediatè verò, ab ipso consensu libero, quem extorsit injuria. Quare meritò negatur ex injustitia consensum extorquente, mediatè nasci non posse obligationem justitiæ, ut rectè docet Lessius cit. n. 37. sic, si quis, violando mihi fidem datam, est causa, ut ego me alteri obligem ex fidelitate, ex alterius infidelitate mediatè nascitur consensus obligans ex fidelitate; aut si quis per injustitiam violat Sponsalia, & per hoc causat, ut ego me alteri det fidem Sponsalium, manifestum est, ex illa injustitia nasci justitiam, seu jus, sed immediatè à consensu, mediatè ab injuria.

Paritas, quam Tamburinus assumit ex metaphysicis, non tenet. Nam risibilitas ideo nasci non potest ex differentia leonis, quia est proprietas supponens in radice naturam rationalem, cum oriatur ex admi-

admirativo, quod propriè solùm est in patientibus ignorantiam privativam; seu privationem notitiæ intellectuales; quæ non datur in leone: at justitia in suo subiecto non supponit privationem omnis injuriæ passivæ. Radix enim obligationis etiam justitiæ, est voluntarium simpliciter liberum, quod reperiri potest in subiecto patiente solùm levem injuriam. Hinc multi censent, talem promissionem latroni factam (*ne occidat*) naturaliter obligare conditione impletâ, licet latro acceptum restituere teneatur vi obligationis, quam habet damnum, injustè illatum, reparandi. Et ideo Castropalaus *cit. P. 1. tit. 2. D. 1. p. 8. n. 5. §. ad Tertium*, docet, eum (qui injustè extorquet legatum à Testatore) non posse quidem illud recipere ratione injuriæ, posse tamen ratione contractûs, ita ut legans obligatus sit ratione contractûs illi tradere; esto ratione injuriæ excusetur, ac exceptione illum repellere possit; quia bene stare potest, et obligari ex uno titulo, ex alio deobligari, cum in tali casu sit solutio solùm momentanea, vel quasi.

405. Ad confirm. Resp. negari, non transferri dominium per actum, qui juris dispositione statim rescindi potest; aut etiam jure obligat ad acceptum ex tali casu de novo restituendum. Nam licet apud antiquos Theologos, ut testatur Navar. *de Reditib. Ecclesiæ. q. 2. n. 7.* (juxta sententiam communem, & reverà valde probabilem) Clerici ad restitutionem tenerentur eorum, quæ de superfluis, congruæ ipsorum sustentationi, in causas profanas expendebant; eorum tamen domini erant, licet dominio oneroso, nimirum sub modo exponendi in causas pias. Modus autem non suspendit translationem domini, esto vinculati ad faciendam alteri certo tempore, vel casu, restitutionem, aut translationem. 2. qui rem furtivam scienter (ignorante rei domino) cum sua sic confundit, ut confusa reddatur indistincta, totius corporis acquirit dominium; sed cum onere, alteri æstimationem suæ materiæ restituendi. *L. si alieni. ff. de solutionibus*; ergo obligatio restituendi non probat, dominium non esse translatum ex tali actu, qui confert dominium, licet momentaneum; ergo ex hoc, quod quis rem metu extortam de-

Tom. IV.

beat restituere, non probatur nullitas contractûs, sed solùm rescindibilitas, vel nullitas.

Sed nec ultima ratio Tamburini placet, quæ probat, nullitatem contractûs ex eo, quia alias deberet expectari Judicis irritatio. Nam plura sunt, quæ vitio nullitatis laborant, in quibus tamen debet expectari Judicis irritatio; ergo ex eo, quod in aliquo casu debeat expectari Judicis irritatio, non rectè probatur, prius non esse actum nullum: matrimonium enim contractum cum impedimento dirimenti nullum est; & tamen etiam si notoria deinde sit parentela illorum putativè conjugum, expectari debet judicium Ecclesiæ, ut ab invicem recedant ad alia vota; ergo etiam si deberet expectari Judicis irritatio, ut accipiens aliquid extortum metu restituere debeat; non sequitur propterea, talem dationem, & acceptationem, non esse nullam; cum in pluribus, quæ nulliter gesta sunt, intervenire debeat Judicis irritatio, saltem declarativa prius, quam exinde, præsertim in foro externo, sequantur alii juris effectus.

Denique etiam illa propositio, quam antecedentis loco assumit Tamburinus: *accipiens aliquid extortum per metum, statim restituere tenetur*, in vi antecedentis seu connexionis ad inferendam, nullitatem contractûs per injuriam extorti, non modo non certa est, sed à pluribus negatur, ut constat. 1. ex eo, quod n. 404. tradidimus ex doctrina Castropal. 2. quia vel loquitur de obligatione restituendi taliter acceptum, urgente solùm pro foro conscientiæ, vel in foro externo. *Non primum*; quia multi docent, contractûs metu gravi etiam injustè incussio in totos esse jure validos, sed solùm rescindibiles per officium Judicis, aut exceptionem metûs injustè incussi; elidibiles; consequenter primum post sententiam Judicis irritantem; quod multo magis procedit in foro fori.

## §. 4.

Quid in desponsationibus operetur metus gravis?

Prima quæstio est, circa Sponsalia de futuro, an jure naturali nulla sint, cum ex gravi metu inita sunt, inducto naturali-

O

ter?

ter? & in hoc esse dicendum negativè constat à n. 396. quod etiam tenendum, cum inita sunt ex metu gravi, licet extinsecus, sed justè incusso, ut notavimus à n. 397. difficultas est, de his, ex metu gravi celebratis, quando metus cum injuria, seu injustè est incusus ad extorquendum consensum. Castropalaus p. 1. tr. 2. d. 1. p. 12. n. 1. ait: *qui dicunt jure naturæ metum gravem injustè illatum, irritare contractum, quia continet injustitiam, & ex injustitia non posse induci obligationem justitiæ, eos consequenter dicere teneri, irritare metum levem, quia uterque continet injustitiam, sed quidquid sit de consequentia doctrinæ illorum, qui antecedens ex illo capite defendunt.*

408. Dicendum, probabilius esse, Sponsalia jure naturæ valida esse, quantumvis inita ex metu gravi cum injuria extrinsecus incusso directè ad extorquendum consensum; ita Sanchez l. 1. hic D. 8. n. 4. Nam talis metus nihil excludit, quod jure naturali pertinet ad substantiam Sponsalium de futuro. Potissimum enim, de quo controversi posset, est consensus requisitus; qui forte cum tali metu componi non posset; at hoc non subsistit. Nam ejusmodi metus non excludit *voluntarium simpliciter*; sed consensus Sponsalium de futuro jure naturali non exigat aliud voluntarium. 1. non ex hoc, quod per tales contractus injustè extortos non possit transferri dominium, utpote subjectos oneri restitutionis. Nam hoc non obstat. ex n. 405. secundò, non eo titulo, quod ex consensu injustè extorto nasci non possit obligatio justitiæ; contrarium enim à n. 401. ostensum est. 3. non ideò, quod jus naturale non patitur, ut quis ex iniquitate sua cum alterius gravi damno lucrum habeat. Hoc enim solùm est in casu, quo damnum non foret reparabile, & lucrum iniquitatis, metum incutienti, firmum esset; quod locum non habet, ubi contractus per injustitiam extorti, denno rescindi possunt; 4. non etiam ex eo, quod talis metus promissioni repugnet ratione objecti, ut patebit ex seqq. nec etiam, quod tale voluntarium habeat sibi conjunctum aliquod involuntarium, ut dicemus n. 424. nec denique quod objectum promissum repugnaret ejusmodi promissioni, ut constabit ex n. 422. ergo. Et ideo

nullus contractus, denuò rescindibilis per ejusmodi metum jure naturali irritus est, sic Castropalaus p. 1. tr. 2. D. 1. p. 12. n. 3.

Dices. I. cum P. Jacobo Illung, qui tract. 9. Theol. Practica D. 9. de matr. q. 1. n. 2. vult, ejusmodi Sponsalia esse irrita jure naturæ, hoc argumento: Licet ille metus non repugnet Sponsalibus ratione contractus secundum se, repugnat tamen ratione objecti per ea promissi, hoc enim est matrimonium, contrahendum ex obligatione, per metum extorta. Nam unica causa matrimonii contrahendi; foret talis obligatio; hæc autem contractui matrimoniali repugnat; cum istud exigat consensum omnino liberum à metu injustè incusso, si cadat in constantem Virum, & ad finem extorquendi consensum; Ergo.

Hoc argumentum quidam Recen-  
tior sic urget; si valerent Sponsalia inter  
Cajum & Bertam gravi metu injusto ad-  
actam inita, tunc ea saltem initio contra-  
ctus initi, & antequam Berta ea rescindi  
pereret, aut priusquam resiliiret, obliga-  
rent aliquo modo utramque partem con-  
trahentem; atqui non possunt ea Sponsa-  
lia ullo modo obligare Bertam, quæ me-  
tum est passa; ergo ea Sponsalia non va-  
lent. Major est certa, etiam in princi-  
piis Authorum primæ sententiæ, qui do-  
cent, tum in aliis contractibus rescindibi-  
libus, tum in Sponsalibus, eam partem,  
quæ ex metu contraxit, obligari quidem,  
sed modo infirmo, quatenus datur pote-  
stas resiliendi, & rescindendi contractum,  
quæ potestate si nolit uti, durabit obliga-  
tio initio contracta. Et si quis nullam  
agnoscere vellet obligationem resultantem  
ex Sponsalibus initio validis in ea parte,  
quæ metum patitur, reipsa tolleret  
valorem omnem Sponsaliorum, quæ tan-  
quam contractus reciproci, seu bilateralis,  
debet necessariò stringere utramque  
partem; quod patet ex intentione con-  
trahentium; quorum neuter aliter vult  
obligari, nisi obligetur & altera pars.  
Hinc patet sensus axiomatis, quod *Spon-  
salia non possunt claudicare*: nempe in sui  
prima origine, in qua necessariò vel utram-  
que partem, vel neutram obligant; licet  
dein ob causas legitimas possit frequenter  
una pars resiliire, habens tamen, si velit  
suâ

suâ potestate uti; alteram obligatam; quo sensu dein dicitur *claudicare* contractus etiam Sponsalicius.

411. Minorem probat: si Sponsalia ullo modo obligarent Bertam, quæ ex metu injusto contraxit Sponsalia, deberent eam obligare (quamdiu ea non sunt legitime rescissa) ad objectum promissum, nempe ad matrimonium contrahendum, ad quod unice tendit promissio, & obligatio Sponsaliorum; ut per se patet; atqui est impossibile, ut in tali casu Sponsalia Bertam obligent ullo modo ad matrimonium contrahendum, ergo &c. Minor demonstratur: est impossibile, ut quis obligetur ad actum, seu contractum penitus invalidum (sive dein à jure naturæ, sive à positivo ea invaliditas profluat) ut ex terminis ritè perceptis constat; atqui matrimonium contrahendum dependenter à prioribus Sponsalibus ex gravi metu injusto initis, seu matrimonium consideratum, ut objectum præcedentis contractus Sponsaliti, de quo hic loquimur; certè est actus seu contractus omnino invalidus; ergo est impossibile, ut Sponsalia prædicta obligent ullo modo Bertam ad matrimonium contrahendum. Minoris veritas patet ex jure claro, quo irritum pronuntiatur matrimonium ex gravi metu injusto initum *c. 14. & 15. de sponsal.*

412. Confirmat. 1. si objectum Sponsaliorum, quæ tale, seu matrimonium, quatenus subsistat his Sponsalibus, fuit à jure directè irritatum, hoc ipso saltem indirectè sunt etiam irritata Sponsalia tendentia in tale matrimonium irritum; cum promissio rei invalidæ sit etiam invalida; atqui matrimonium, quatenus est objectum Sponsaliorum, de quibus loquimur, nempe quæ sunt inita ex metu gravi injusto, fuit à jure directè irritatum (cum sit matrimonium subsistans gravi metui injusto, seu celebrandum dependenter à gravi metu injusto) ergo Sponsalia prædicta tendentia in tale matrimonium, quæ sunt inita ex gravi metu, dicenda sunt saltem indirectè irritata à jure.

413. Confirmat. 2. lumen naturæ dicitur, nullam esse obligationem, vi cuius obligaretur ad præstandum quid vel illicitum, vel invalidum, seu ad naturaliter aut moraliter impossibile; atqui, si valerent Sponsalia

inita ex gravi metu, & aliquo saltem modo (priusquam rescinderentur) obligarent partem, quæ passa est talem metum, obligarent eam ad actum, (nempe matrimonium) moraliter impossibilem, utpote jure ipso penitus invalidum; ergo ea obligatio foret nulla, seu prorsus inanis.

Ante responsonem nota, eum, qui 414. facit aliquem actum ex obligatione, vel necessitate, si velit impedibili, ac justè, licitèque evitabili, eo ipso facere actum, liberè libertate requisitâ, prout exigitur, ut quis verè ac propriè dicatur liberè operari. Nam *liberè amat, qui amat, potens non amare*; licet ex suppositione, quòd amet, non possit non amare; quia necessitas dictæ suppositionis est merè consequens, & simpliciter libera; nimirum inducta ab ipsa libertate, quæ per actum oppositum, vel illius omissionem tolli potest, & fieri potuisset, ut non esset, si voluisset. Ex quo sequitur, si metum passio post obligationem, ex consensu per metum extorto; manet liberum, contrahere, vel non contrahere matrimonium, ex tali obligatione, istam obligationem non esse *unicam* causam contrahendi matrimonium; at illa obligatio, *ad instantiam metum injustè passio*, rescindibilis est; ergo in ejus arbitrio est, vel obligationem sequi; vel eam per rescissionem sublatâ, contractum omittere; sic autem certum est, objectum (nempe matrimonium promissum) non repugnat Sponsalibus, cum iis sic non repugnet objectum promissum, quod in hoc casu est matrimonium contrahendum ex obligatione contrahenti libera, utpote tollibili, si contrahere nolit, obligatione nimirum impedibili.

Ex hoc Resp. ad argumentum in 409. 415. N. majorem cum sua probatione; ~~vel~~ cuius ratio clara est, quia illud nequit esse causa unica alicujus effectûs, quod illum non inducit *se solo*, sed cum addito alio; at obligatio nata ex Sponsalibus per metum gravem extortis non inducit matrimonium contrahendum *se solâ*, sed cum addito, ex obligatione per libertatem metum passio non rescissâ, vel elisâ, exceptione metûs, adeoque *non nisi liberè non sublatâ*; ergo ad id, quod additur, Resp. cum dist. obligatio contrahendi matrimonium gravi metu injustè inducta;

contractui matrimoniali repugnat, si à contrahente non sit evitabilis: Concedo; si sit evitabilis; nego majorem. Unde, quando dicitur, *matrimonium exigit consensum omnino liberum à gravi metu injustè incusso*, propositio potest habere duplicem sensum; primò, quòd ipse consensus matrimonialis de præsentì debeat esse immunis à tali metu; 2. quòd non tantùm ipse consensus de præsentì, sed etiam consensus de futuro, atque adeò consensus Sponsalitiis de futuro debeat esse immunis à tali metu: si solum velit primùm? conceditur: si secundum? assumitur ad probandum, quod est in quæstione, & negatur, si obligatio futuri matrimonii per eum metum inducta subsit arbitrio & libertati matrimonium contrahentis, ut constat ex dictis; nam necessitas oriunda ex illa obligatione contrahendi, in casu, quo contraheretur matrimonium eà non sublata, foret tantùm consequens, & libera tunc contrahenti.

416. Ad argumentum in n. 410. Resp. cum dist. maj. si valerent Sponsalia inter Cajum & Bertam gravi metu injusto adactam inita, tunc ea saltem initio contractus initi, & antequam Berta rescindi peteret, aut priusquam resliret aliquo modo, utramque partem obligarent, *obligatione evitabili à metum passo*, C. maj. *inevitabili* N. maj. distingo min. atqui non possunt ea Sponsalia ullo modo Bertam, quæ metum passa, obligare *obligatione ab ipsa inevitabili*, C. *evitabili*, N. min. & conseq. Ad probationem min. Resp. distingo maj. si Sponsalia ullo modo obligarent Bertam metum passam, deberent eam (quandiu ea non sunt legitimè rescissa) obligare ad objectum promissum, seu matrimonium contrahendum *obligatione vel evitabili per ipsam vel inevitabili*, C. *tantum inevitabili*, N. maj. & min. si obligatio sit evitabilis. Ad demonstrationem hujus negatæ minoris. Resp. datâ majore; dist. min. matrimonium contrahendum dependenter à prioribus Sponsalibus, ex gravi metu injusto initis; seu, matrimonium consideratum ut objectum præcedentis contractus Sponsalitiis, *certò* est actus, seu contractus omnino invalidus, sin obligatio Sponsalium sit *inevitabilis à metum passo* in matrimonii contractu, C. si sit *evitabilis*, N. min. & conseq. Nam hoc

totum est in quæstione. Contractus enim ex necessitate contrahendi omnino liberâ, ac evitabili, verè liber est; cum contrahens eo casu contrahat pro justo suo arbitrio licitè potens non contrahere, sublata nimirum, si velit, eà necessitate, aut ejus rescissione, aut elisione sibi licità per exceptionem *quod metus causa*.

Ad 1. confirm. in n. 412. Resp. datâ 417. majore, N. min. quòd matrimonium contractum ex obligatione Sponsalium, metu gravi extortum, sed evitabili per eum, qui talem metum passus est, sit irritum ipso jure nec naturali, vel divino, sic enim metum passus contrahit, potens non contrahere, & obligationem prius extortam evitare, licitè, ac sine metu non contrahendo, ut constat ex dict. Ad 2. confirm. in n. 415. Resp. verum esse, etiam ex naturali lumine, nullam esse obligationem, vi cuius quis teneatur ad præstandum aliquid illicitum, vel invalidum, aut vel naturaliter vel moraliter impossibile; nego autem hoc fieri, si valerent Sponsalia de futuro ex gravi, & injusto metu inita, si ex obligatione talium Sponsalium, gravem & injustum illum metum passus deberet contrahere matrimonium, justè ac licitè potens eam necessitatem & obligationem impedire ac tollere; qui enim non obligatur matrimonium contrahere, nisi sponte vel suâ voluntate, nolit ejusmodi contractum, & obligationem impedire, ac tollere, non obligatur ad aliquid illicitum, vel invalidum, aut vel naturaliter, vel moraliter impossibile; cum possit non contrahere, ut sæpe dictum est, & licet ponas valida ea Sponsalia, passus metum non aliter obligatur matrimonium contrahere, quam si ipse nolit sponte necessitatem, & illam ipsam obligationem impedire, ac tollere; ergo.

Instabis, 1. cum eodem: licet verum 418. sit, matrimonium secundum se, esse objectum licitum & validum, posseque etiam à Bertâ, quæ in Sponsalibus passa est metum, validè celebrari, modo in ipso dein matrimonio non intercedat similis metus gravis injustus; hoc tamen solum procedit, ubi metus nullo modo vires suas exerit, nec extendit ad ipsum matrimonium, & consensus non ponitur dependenter ab ulla obligatione prævia ex Sponsalibus orta; sed prorsus liberè, ac si nulla præ-

præcessissent Sponsalia; sed hoc in præfenti non contingit, ubi adest obligatio, cujus unica radix sint Sponsalia ex metu gravi injusto inita ad contrahendum matrimonium dependentem ab ea obligatione: probatur; si daretur talis obligatio, manifestè metus in Sponsalibus incussus influeret virtualiter in ipsum matrimonium, ad quod contrahendum daretur obligatio ex metu contracta; ergo matrimonium foret nullum; stante autem hujus nullitate, nulla quoque erit obligatio ad illud; antecedens patet; quia matrimonium poneretur incundum dependentem à priori obligatione in Sponsalibus contracta; ergo quidquid influit in obligationem tanquam radicem, influit consequenter in objectum, & effectum illius obligationis, qui foret matrimonium: at qui metus ponitur influxisse in obligationem praviam ex Sponsalibus ortam, ergo idem metus necessariò influeret in subsequens matrimonium, quod est objectum Sponsaliorum & effectus.

49) Resp. 1. ut matrimonium in dicto casu sit promissionis objectum licitum, validum, ac etiam moraliter possibile, non requiri, quòd matrimonialis consensus ponatur independentem ab omni obligatione prævia ex Sponsalibus orta, quantumvis extortis cum injuria, si obligatio metum passio sit evitabilis, & pro ipsius arbitrio sic adest, ut si vellet, non adesset, ut constat ex dicto. Quare Resp. datà majori min. hoc ipso enim, quòd metum passus, cum justè ac licitè posset rejicere contractam obligationem consentiendi in matrimonium (cum non rejicit) non jam ex illa, sed solà suà libertate consentit in matrimonium; quin obligatio vim ullam contrahendi non liberam exerceat in consensum matrimoniale; qui enim consentit stante obligatione contrahendi, quam contrahens non curat, nec metuit, utpote, si vellet potens ab illa omnino liber esse, in suo consensu nullatenus est invitatus, nec ostendit, matrimonium sibi placere propter timorem injustè incussum; & solus iste consensus, quo quis invitatus contrahit, aut per timorem dicit, placere, quod odit, non habet locum in matrimonio, ut dicitur c. Cum locum. 14. de Sponsalibus, ergo.

Instabis. 2. Votum simplex Religionis ingrediendæ (quod est via ad professionem religiosam, sicut Sponsalia sunt via ad matrimonium carnale) ex injusto, & gravi metu extortum, est penitus nullum, licet alia vota simplicia ex simili metu transmittantur tanquam valida; ergo idem dicendum de Sponsalibus; probatur conseq. ideo illud votum est penitus nullum, quia si obligaret, obligaret facere professionem nullam; nam obligaret ad professionem vi illius voti; seu dependentem ab eo voto; ergo sicut illud votum est coactum seu metu extortum, ita professio faciendæ vi & virtute illius voti esset professio coacta, & hoc ipso invalida c. 1. de his, que vi, metuve &c. nempe quod est causa causæ, censetur quoque causa causati, in quod virtualiter influit, quæ omnia cum proportione applicari possunt Sponsalibus metu extortis, & matrimonio ab iis dependenti.

Resp. transmissio anteced. N. conseq. 421. ad ejus probationem Resp. 1. N. causalem; plurimi enim docent, ejusmodi vota seu promissiones DEO factas irritas esse propterea, quòd DEUS promissiones coactas, & non spontaneas, sed injustè extortas, non acceptet, non recipiens sacrificium nisi voluntarium Resp. 2. N. causalem, si obligatio ex voto per metum coacto inducta, à vovente ponatur justè, ac licitè impedibilis; imò tali casu negatur suppositum, professionem emissam eo casu (quo voti obligatio non cogit voventem ingredi, nisi ex suppositione, quòd ipse, licet facilè posset, nolit, ab ea obligatione liberari) fore nullam, & invalidam; tunc enim non tam obligatio, quam propria voluntas voventis & causa secutæ professionis.

Deinde plura rectè, ac ex vero negativis continet illud argum. 1. enim illud votum non est via ad professionem, sicut Sponsalia ad matrimonium. Illud enim tantum obligat ad Religionis ingressum, & probationem: sponsalia verò directè obligant ad matrimonium; professio enim non est objectum directè, ac immediatè promissum eo voto; 2. votum, seu promissio DEO facta si valida sit, inducit obligationem juris divini, seu DEO acquisiti; Sponsalia verò solùm obligationem juris acquisiti homini; jus autem acquisitum ho-

mini facilius impediri potest, quam jus acquisitum DEO. 3. professio gravi & injusto metu extorta, probato metu facile relaxatur; non idem matrimonium etiam ratum tantum, quod jure divino est insolubile, præsertim cum non desint, qui doceant, illud nullo jure, vel potestate humanâ dissolvi posse.

422. Dices. 3. etsi verum sit, quod Sponsalia de futuro per gravem, ac injustum metum extorta, non sint irrita etiam jure positivo in ratione contractus; sunt tamen irrita propter objectum promissum, ut ostensum est à n. 409. nam promissio rei de futuro præstandæ, ubi validè præstari non potest; invalida est; sed Sponsalia tali metu extorta sunt promissio rei de futuro præstandæ, nimirum matrimonii celebrandi ex obligatione inducta per Sponsalia injustè extorta cum injuria gravi promittentis. Sed Resp. N. maj. cum sua probatione, cujus matrimonium sufficienter ostensum est, ex dictis à n. 415, Nam matrimonium contractum, suppositâ obligatione illud contrahendi, etiam per gravem, & injustum metum inducta, quæ à metu passo tolli potest liberè, non est tam causa contrahendi matrimonium etiam eâ stante potius, quam libertas contrahentis liberè nolentis obligationem tolli, etiam si possit.

423. Ad finem hujus etiam nota, unum, alterumve Patronum hujus sententiæ, ad cujus fundamenta respondimus, argumentum suæ probationis etiam sumere ab Autoritate extrinseca Doctorum cum ipsis idem sentientium; sed advertendum huic opinioni, quæ dicta Sponsalia vult irrita non ex eo, quod procedant ex injusto & gravi metu; sed quod tendant promissione suâ in objectum invalidum & impossibile, ab illis Authoribus nullum accedit patrocinium; quia ex illis Doctoribus, ut constabit eos inspicienti, pauci sunt, qui ex eo titulo asserant illorum Sponsalium nullitatem.

424. Dices. 4. Consensus, cui conjuncta est nolitio circa idem objectum, jure naturæ insufficientis est ad contractum validè celebrandum; sed hoc fit, quando quis metu gravi injustè incusso inducitur ad contrahendum; quia, si malum, quod metuitur, non esset, is, qui contrahit, nullo modo vellet, sed positivè noller; ergo

Resp. hoc arg. probari contractus etiam levi metu injustè incusso celebratos, jure naturæ invalidos esse, quod tamen communiter negatur, quia nolitio illa, si quæ adest, est inefficax; cum ponatur in re adesse volitio ejusdem objecti. 425.

Resp. 2. mai. negari, si nolitio tantum sit conditionata, & conditio ab sit; vel si non est, sed tantum esset, si poneretur certa conditio, qualiter fit in præsentem. Nam dissensus, qui non est, sed tantum esset, nihil operatur circa voluntatem præsentem. Denique tale involuntarium etiam sæpe habet, qui injustè cogitur, & tamen non obstat voluntario sufficienti ad valorem contractus.

Accedit, quod volitio alicuius objecti per metum extorta, vel inducta, non eo ipso habeat adiunctam nolitionem, etiam in solo affectu, ad oppositum. Nam aliàs, qui detestatur peccatum propter poenam inferni, non eliceret unquam detestationem honestam, utpote habens sibi adiunctum affectum ad peccatum, si non essent poenæ inferni; quod dici non potest; cum talis detestatio possit esse supernaturalis; Ergo.

Quæstio. 2. est, quid dicendum spectato iure positivo. Resp. etiam iure positivo valida esse Sponsalia de futuro, licet inita ex metu gravi, iniuste incusso directè, ad extorquendum consensum; quia nullus contractus denuò rescindibilis (nisi forte specialiter exceptus sit) tali metu, iure positivo est irritus; sic Haunoldus tom. 3. de Just. tr. 8. n. 114. & alii cum Sanchez. l. 4. matr. D. 8. n. 4. Probatur; quia nullus est textus iuris, alios contractus denuò rescindibiles, qui specialiter excepti non sunt, ipso facto irritans ex tali metu, & in oppositum iura multò clarius loquuntur. Sic promissio ejus, quod quis non debuisset, jure civili obligat, & parit efficacem actionem, quâ intenditur, dare te oportere, licet quis metu coactus, aut dolo inductus promiserit. Insit. de Except. in princip. Deinde L. fin. C. de his, quæ vi, &c. donationes, venditiones, transactiones per potentiam extorta, non dicuntur, nisi infirmandæ; ergo non irritæ prius, ibi: precipimus infirmari. Idem probari potest ex L. si mulier. 21. §. fin. ff. Quod metus causâ. Item L. 3. §. 7. C. de his, quæ vi, ac c. 2. & 4. eod. Deinde,

TEXTUS

textus irritantes, qui afferri possunt, & solent ex iure Canonico, loquuntur non de Sponsalibus, sed matrimonio; quod eo casu jus naturæ, etiam in principio irritum, voluit; quia semel validum; amplius rescindi non potest; ut ait ipse P. Sanchez. l. 4. D. 19. n. 1. rectè negans; in hoc casu iuramentum à matrimonio fieri posse ad Sponsalia; ut pat. ex aliis: Confirm. quia licet *matrimonium*, metu gravi à causa libera injustè incusso directè, ad extorquendum consensum, jure saltem positivo sit irritum, ut dicemus infra; ea tamen jûris dispositio extendi non potest ad Sponsalia de futuro. 1. quia hæc non exigunt tam perfectum voluntarium. 2. iniri possunt in minori ætate. 3. semel valida, denudò rescindi possunt.

427. Dices. 1. in c. *ex literis*, de spons. impub. puellæ, contrahenti per metum cum impubere, datur facultas accipiendi alium Virum, si noluerit expectare, ut puer pubes fiat; ergo signum est, Sponsalia valida non fuisse: aliàs ratione impedimenti publicæ honestatis, non dâsetur libera facultas, cum quolibet alio contrahendi; & ita tener Covar. 4. Decret. P. 2. c. 3. §. 1. n. 1. Sanchez. l. 4. matr. D. 19. n. 3. & alii. Resp. 1. trans. ant. N. confeq. 1. quia, licet fuissent valida, fieri potuit, quod Pontifex illis; propter injuriam puellæ factam, rescissis, dederit illam liberam facultatem contrahendi cum quolibet alio non impedito. Nam quando unus effectus provenire potest ab hac, vel illa causa, malè arguitur ex tali effectu ad unam causam determinatè. Deinde impedimentum publicæ honestatis non nasci ex Sponsalibus; quæ rursus soluta sunt libero Sponsorum consensu, docet Castropalaus P. 1. tr. 2. D. 1. p. 9. Lessius cit. D. 6. n. 38. & alii, de quibus supra: Sed quidquid sit de hoc.

428. Resp. 2. negando, ea Sponsalia fuisse invalida ex defectu consensûs immuni à metu injustè incusso, sed potius ex defectu omnis consensûs; saltem interni. Cùm in cit. c. dicatur: *nolens*, & (nimirum, ad externum consensum) *invita*, mitis parentum impulsus; aliàs enim illi duo termini non satis explicantur, nisi dicatur *nolens internè*, & *ad consensum externum invita*, ac minis parentum impulsus. Sic gloss. ibid. V. *De sponsati*. & Innoc. ibid. in princip.

Dices. 2. promissio, vel solutio dotis, 429. per metum extorta; saltem jure positivo est irrita, cit. L. *si mulier*. §. *si dos*. Idem est de simili per injustum metum extorta promissione; vel traditione in rebus Ecclesiæ. 15. q. 6. c. 1. de voto c. 1. de his, quæ v. de Jurisdictione. L. 2. ff. de Judic. de Auctoritate Tutoris. L. 1. ff. de auctor. Tutor. de donatione; vel promissione merè liberali. Nam liberali donationi omnino repugnat coactio. Et ideo Pontius l. 4. de matr. c. 8. omnes contractus lucrativos n. 3. docet; non tantum jure naturali, sed etiam positivo nullòs esse, quando extortæ sunt per metum ad eum finem injustè incussum, ergo ratio conclusionis fallit universaliter.

Resp. licet à communi regulâ, quod 430. contractus denudò rescindibiles, non irritentur ipso jure positivo, esto celebrati sint per metum gravem injustè incussum ad extorquendum consensum; excipiat promissio, vel solutio dotis. ut pat. ex cit. L. *si mulier*, ibi: *si dos metu promissa sit, non putò nasci obligationem, nec talem promissionem dotis ullam esse*. 2. promissio; vel traditio in rebus Ecclesiæ, ut constat ex loco in object. cit. 3. *Votum*; intellige *solemne*, ut pat. ex cit. *ibid.* c. 1. quàmvis non tam ex jure scripto, quàm ex praxi; & consuetudine; ad omne votum extendatur, quod DEUS Voluntarium, non coactum sacrificium acceptet: nullo tamen textu excipi Sponsalia de futuro; hinc subjecta manent communi regulæ de valore contractuum; denudò rescindibilium, qui non sunt specialiter excepti, si per gravem metum injustè incussum ab extrinseco extorti sunt directè ad obtinendum consensum. Neque per hoc infringitur probatio nostra, quia procedit cum exceptione; nisi ob alias causas, aliis non communes; jus positivum de quibusdam specialiter disposuerit.

Quæstio. 3. est, an, & qualiter Sponsalia de futuro ex injusto & gravi metu iniata, rescindi possint? Non est dubium, contractus, denudò rescindibiles (consequenter Sponsalia de futuro) quantumvis iniatos cum injuria ex metu gravi directè incusso ad extorquendum consensum, rescindi posse. Nam qui talem metum injustè incussit, propter injuriam alteri factam, tenetur consentire in illius resilièntiam; si ipse

si ipse laesus velit; cum teneatur omnia damna illi secuta ex ejusmodi injuria reparare, ac eum in statum pristinum restituere id, quod habetur in utroque jure. 1. Ecclesiastico in c. 2. de iis, quæ vi &c. ibi: *quæ metu, vel vi fiunt, de jure debent in irritum revocari*. ubi gloss. V. *coactus*, quæ per timorem, vel metum fiunt, qui possit cadere in constantem virum, tenent; sed contra hoc datur actio, quod metus causa; & probato metu, restituitur per officium Judicis; & in c. 4. eod. ubi dicitur: *quæ metus causa fiunt, carere debent robore firmitatis*; ubi renuntiationi metu extortæ solùm firmitas, seu irrefcindibilitas negatur; non autem robur, seu valor simpliciter. 2. jure civili L. fin. C. de iis, quæ vi &c. ibi: *Venditiones, donationes, transactiones, quæ per potentiam extortæ sunt, precipimus infirmari*, ubi not. quod jura in his casibus non loquantur de infirmitate factâ sed faciendâ.

432. Suppon. autem, non esse omnino dicendum idem, de casu, quo unus contrahentium; & de illo, quo alius tertius metum injustè incussit ad extorquendum consensum. Nam in hoc secundo casu non posset metum passus (spectato jure naturali) sine consensu alterius (qui etiam ponitur innocens) contractum dissolvere; isto titulo, quod ipse cæteroque etiam innocens debeat obligatus manere; hæc enim non sufficit, ut alter contrahentium in hoc innocens, ex alterius libitu possit obligationem dissolvere, cum hoc innocenti damnosum sit, & illius damno cautum sit, per hoc, quod ille tertius, qui metum incussit, ipsi maneat obligatus ad interesse. Cæterum jure positivo ad instantiam injuriam passis, contractus ille rescinderetur, ut habetur in L. 14. §. in hac actione. ff. quod metus causa, ubi dicitur, non obesse, tali actioni, quæ agitur ad rescindendum contractum, *an is, qui convenitur, an alius metum fecerit; sed satis esse, quod doceat metum sibi illatum; & ex hac re eum, qui convenitur, etsi crimine caret, lucrum tamen sensisse*.

433. Dices: legem duntaxat loqui de contractibus lucrativis, ut patet ex illis verbis: *lucrum tamen sensisse*; ergo ex data lege non probatur, contractus onerosos rescindi posse per Judicem, quando metus non est incussus ab altero contrahen-

te, & ad hunc lucrum non provenit. Resp. verum esse, quod textus loquatur de contractu lucrativo; sed quin decisionem fundet in lucro innocenti acquisito. Ratio enim succurrendi metum passis fundatur in eo, quod leges iniquum judicent, non succurrere laesis; & gravem injuriam passis ex aliena iniquitate directè intendente; per hoc consensum extorquere, sive alius habeat inde, sive non habeat lucrum. Loquitur tamen de lucro propterea, quod nolit, ut etiam innocens hoc lucrum habeat ex alterius tam gravi injuria per alium causatâ in extorquendo directè consensu.

Quæstio. 4. est, an valeat matrimonium, si consensus, injustè per metum gravem à causa libera extorquetur directè, ad obtinendum matrimonium? Resp. contractus nec partium consensu, nec ullo humano jure rescindibiles, postquam semel validè celebrati sunt, jure naturali etiam in principio esse irritos, ac nullos, consequenter ad eos validè celebrandos, jure naturæ requiri consensum immunem, seu liberum à metu gravi, injustè extrinsecus incusso ad extorquendum directè talem consensum. Sic Barbosa in c. Consultationi de sponsal. Basil. Pontius l. 4. c. 14. n. 4. citans D. Thom. in 4. dist. 29. q. unic. a. 3. Scotum, & alios. Ratio est, quia si talis contractus jure naturali valeret, natura daret valorem actui approbationis suæ, ex quo longè majora mala bono communi nascerentur, quàm bona ex ejus valore; approbaret enim actum ut validum, ex quo indeclinabiliter innocens cogeretur pati malum, sæpe gravissimum innocenti, & reo etiam ex iniquitate sua lucrosus, quale est matrimonium perpetuè invitum, injustè extortum, ac directè cum alterius injuria gravi questum, quod sane foret iniquum, & nullatenus rectæ rationi consonum.

Resp. 2. contractus prædictos, etiam jure positivo, esse omnino irritos, ac nullos. Nam ad ejusmodi promissiones, & contractus jure positivo requiritur voluntarium immune, seu liberum à metu iniuste incusso extrinsecus, ad extorquendum directè talem promissionem, seu contractum, ut constat ex c. Cum locum. 14. de spons. ubi expressè dicitur, *quod locum non habeat consensus* (intellige ad matri-

matrimonium requisitus; nam de hoc fbi quæstio erat) ubi metus, vel coactio intercedit. Deinde ex c. Veniens. 15. eod. ubi Rubrica habet, etiam post Sponsalia de futuro tenere Sponsalia de presenti, nisi per metum, qui potuisset cadere in constantem Virum, contracta sint. Similiter professio religiosa ex metu mortis, injuste, ac directe ad illum finem incusso, nulla dicitur, c. 1. de iis, que vi, ubi Alexander III. ait: perlatum esse ad suam audientiam, quod, cum quidam nobilis, & potens M. uxorem suam suspectam haberet, milites sui ejus præcepto eam ad quandam sylvam ducentes, evaginato gladio occidere voluerunt: sed tandem pietate ducti, sub tali conditione pepercerunt eisdem, quod in Monasterio habitum susciperet Monachalem: Episcopi vero missi à Viro, ut ei velum imponerent: quia juvenis erat, & filium parvulum habebat, mutationem vite sue suspectam habentes, seorsum convenerunt eandem, quæ rem patefaciens, quod mortis timore monasterium intrabat, proposuit, & quod inde quandocumque posset, exiret: sed alter Episcoporum (ut viri tyrannidi satisfacere videretur) mulieri velum imponere simulavit: tandem Viro de medio sublato, prædicta mulier de monasterio exiens, alium maritum accepit: quos Gallagoritanensis Episcopus ad instantiam fororum vinculo excommunicationis adstrinxit: & super hoc casu resolutionem rescribens, ait: mandamus, quatenus prædictam mulierem & Virum (recepto Sacramento, quod vestro debeant stare mandato) ab excommunicationis vinculo absolvatis: deinde tam mulierem quam Priorissam, & moniales prescripti monasterii ante vestram presentiam convocantes, si legitime probatum fuerit, non timore mortis prædictam mulierem religionem intrasse, aut quod fecit, postmodum ratum habuisse: ipsam ad monasterium redire; & habitum depositum reassumere censurâ Ecclesiasticâ compellatis. Ex qua decisione per contrarium sensum aperte concluditur, quod à nobis dictum est.

436. Et ideo recte concluditur, ad consensum, quo inducitur obligatio naturalis, quæ semel valida, dein humano jure rescindi non potest, etiam jure positivo non sufficere voluntarium simpliciter,

Tom. 17.

ter, sed requiri actum immuniem à metu gravi, cum alterius injuria, extrinsecus incusso eo fine, ut talis consensus extorqueatur. Ratio est ex priori numero; quod verum est, sive metus ab uno contrahentium, sive ab alio sic incussus sit, directe ad extorquendum consensum. In utroque enim casu consensus deficit à libertate ad talem obligationem jure positivo requisito.

Dices: ergo idem dicendum erit de contractibus, initis ex injusto metu levi. Resp. negando illatum; nam licet contingant quoque injuriam, hæc tamen levis est, & ab homine constanti contemni potius, quam curari debet; præsertim cum commodum nascens ex irritatione talium contractuum non præponderet malis, & inconvenientibus ex illa. Cum enim ejusmodi metus, & injuriæ leves frequenter in talibus contractibus interveniant, plurimi & frequentissimi contractus, hodie communi sensu validi, forent irriti, aut irritabiles, facile alligato metu levi; quæ mala non sequuntur ex irritatione ex injusto metu gravi. Cæterum qui dicunt ex voluntario per injustitiam extorto non posse nasci obligationem justitiæ (quod ex injustitia nasci non possit obligatio justitiæ) omnino videntur idem dicere debere de metu levi, & admittere illatum, ut notavimus n. 407. at assertio nostra non procedit ex hoc fundamento: sed necesse idem dicendum est in prædictis contractibus, qui semel validi non possunt rescindi, licet dolo malo sint initi; quia similiter bonum irritationis, proveniens deceptis, non præponderat inconvenientibus secuturis ex illa. Rarissimum etiam foret matrimonium, quod non subjiceretur declarationi nullitatis ex dolo detecto; quia doli sunt longè frequentiores metu gravi, ac injusto; sunt occulti, & latentes communiter, non autem metus; hominesque ut libidinem suam explerent, in matrimonii contractu, miscerent dolum in re gravi, ut recte not. Haunoldus tom. 3. de Just. 17. 8. n. 111.

Dixi: contractus irrefcindibiles, jure naturali esse invalidos, qui celebrantur per consensum, à causa libera, ex metu gravi injuste, ac directe extortum cum injuria, ab ipso contrahente. Nam si metus ab alio, quam à contrahente incussus est, non hoc

P

hæc;

sine, ut extorqueatur consensus; sed plane alio, contractus etiam irrevocabiles, postquam semel validi sunt, valent, si metum passus, consensus, ut per hoc evitaretur malum, quod metuitur. Ratio est, quia in tali casu metum passo nulla patrocinatur ratio ipsum eximens à valore obligationis. *Non injuria per contrahentem illata*; quæ supponitur nulla; *non illata per tertium*, quia hæc non est facta directe, seu eo sine, ut extorqueatur consensus; ergo quoad hoc contra innocentem, vi talis injuriæ à tertio illatæ; non est restituendus; & aliunde inter casum metus injustè illati eo sine, ut extorqueatur consensus, & alterum metus pariter injustè illati planè ex alio sine est magnum discrimen. Nam in primo casu nullitas *matrimonii* v.g. per se loquendo efficaciter retundit finem directè quæsitum à metum incutiente; non in secundo; cum metum incutiens in secundo casu eum finem per se non quærat, & intendat; & ideo natura, volens efficaciter sublatas ejusmodi injurias, directè quæstas ex illo contractu, meritò induxit pro primo casu nullitatem; secus, in secundo. Et ideo votum (v. g. religionis) ex metu mortis, vel diurnæ captivitatis subeunda apud Barbaros, per injustè persequentes hominem causâ fidei, securâ liberatione, tenet, licet emissum sit ex gravi metu injustè incusso, sed non ex sine extorquendi votum; similiter, si captivus apud Turcam, vel alium, certò occidendus cum summa injuria, iniret matrimonium cum illius hominis filia, occultè Christiana, certam liberationem spondente, si eam duxerit; contractus teneret securâ liberatione, licet puellæ parens metum mortis non incusserit eo sine: quia scilicet ipse metum passus ejusmodi contractum elegit, ut medium efficacè evadendi malum ab hoste impendens, qui ad hoc, ex ejus intentione, metu illius cogereetur. Si autem dicas, illos contractus naturâ irritos voluit, ex quibus, si semel validi, rescindi non possent, innocens invitus cogereetur damnum indeclinabiliter pati; sed hoc contingit etiam in casu, quo tale damnum illis eveniret ex consensu, per metum gravem, & injustum extrinsecus incussum, licet ad eum finem, consensus obtinendi, incussus non sit; ergo

Resp. maj. esse veram, si metus incutitur eo sine, ut extorqueatur consensus, qui annexum habet malum, quod innocens etiam invitus indeclinabiliter pati debet. Nam finem ab incutiente metum directè quæsitum, & innocenti irreparabiliter noxium; natura admittere nec voluit, nec debuit consequibilem jure, alias enim natura voluisset innocenti damnum irreparabile, & hominis injusti iniquitas maximum haberet illicium, si naturam talem consensum, injustè extortum, validum, esse voluisset. Quare dist. maj. illos contractus naturâ irritos voluit, ex quibus innocens invitus deberet damnum pati, quod sequitur ex consensu directè per injuriam extorto. C. secus N. maj. cum tunc. & conseq.

## ARTICULUS IV.

### De divisione matrimonii.

Præcipua divisio matrimonii est in *le-* 439.  
*gitimum, Ratum, & consummatum.* His varias matrimonii species annumerat Pe-  
regra in *Elucidario* d. n. 1671. nempe; ma-  
trimonium *de jure*; id est, validum; &  
matrimonium *de facto*, quod scilicet con-  
trahitur invalidè, ac nulliter; 2. mat-  
rimonium *Feriatum*; quod idem valet; at-  
que contractum; *solutum*, quod fit mor-  
te; vel divortio; *Redintegratum, seu re-*  
*conciliatum*, idem sonans, *acrenovatum*;  
*occultum*; quod scilicet probari non  
potest; & sic non sumitur, prout distin-  
guitur contra publicum, sed prout distin-  
guitur contra plenè probabile. 3. mat-  
rimonium *clandestinum*, quod clam fit, de  
quo dicemus infra: *coactum*, quod fit  
per consensum coactum, seu extortum, de  
quo jam egimus; *conditionatum*; quod sub  
conditione contrahitur, de quo agemus  
tit. 5. *per Coemptionem*; cum Vir &  
Uxor se invicem coemerent; prout apud  
antiquos in usu erat: Matrimonium ad  
*Morganaticum* celebratum &c.

Similiter nuptiæ multiplicem habent 440.  
appellationem. Nam aliæ sunt *acerbe*,  
quæ factæ intra tempus luctus subjacent  
pœnæ; *Iustæ*, seu legitimæ, in quibus  
nihil lege, aut jure desiderari potest; *In-*  
*cestæ*, quæ contrahuntur inter consanguin-  
eos collaterales, vel affines; *Nefaria*,  
quæ

quæ inter ascendentes, & descendentes: *Interdictæ*, quæ ineuntur ab his, qui lege civili prohibebantur, quales erant Tutoris cum pupilla, Senatoris cum Liberta: *Secundæ*, quæ sequuntur primas &c. Cæterum nuptiarum appellatione solum continentur primæ; sic ille. Ex his porro agemus hic de illis tantum speciebus, seu membris matrimonium dividendis, quæ hujus fori, ac loci sunt.

## §. 1.

## De matrimonio legitimo.

441. Matrimonium legitimum est, quod legitimo contrahentium consensu initur, nimirum juxta legalem constitutionem, vel mores provinciarum, ut not. S. Aug. relatus post c. *fm. 28. q. 1.* & hoc sensu intelligitur, quando in c. *quantò. 7. de divort.* dicitur: *matrimonium verum inter infideles*, existere. Hoc matrimonium ex institutione auctoris naturæ, jure divino positivo, esse insolubile voluntate, & arbitrio ipsorum conjugum dicitur in c. *Unico. de vot. in 6. ibi: ab ipso Ecclesie capite, rerum omnium conditore, in Paradiso constitutum, insolubiliter accepit*, quod etiam habetur in Trid. *Sess. 24. c. 1. ibi: matrimonii perpetuum, insolubilemque nexum primus humani generis parens divini Spiritus instinctu pronuntiavit.* Ex quo sequitur, esse dictum matrimonium jure divino insolubiliter habeat; solvi tamen posse dispensatione, vel permissione divinâ. Nam ante legem Evangelicam Judæi per libellum repudii, DEI permisso, poterant matrimonium etiam consummatum dissolvere, Deuteron. c. 24. & post legem Evangelicam, matrimonia infidelium, etiam consummata, dissolvi possunt uno ad fidem converto, altero remanente. c. 7. de divort.

442. Hinc quando S. Aug. relatus c. *si quis, 29. q. 1.* matrimonium infidelium negaturum esse ex eo, quia non est firmum, & inviolabile conjugium eorum; cum liceat dato repudii libello recedere ab invicem, & aliis copulari, debet intelligi, ut ipse notat, quantum est de lege fori; non, lege poli, nimirum spectatâ legali constitutione, non autem divinâ institutione. Et ideo glossa ibi; V. *dato*, rectè ait, in

Tom. IV.

veritate per dationem libelli matrimonium infidelium non dissolvebatur, cum divinâ institutione perpetuitatem habere debeat, prout distinguitur contra solubilitatem ex voluntate conjugum, ut dictum est, ex c. *Unico*, & Trid. supra cit. Unde sequitur, legitima matrimonia infidelium non esse insolubilia jure naturæ, sed tantum positivo divino, ut constat ex dict. c. *Unico*.

## §. 2.

## De matrimonio rato.

Matrimonium ratum dicitur, quando est Sacramentum, nondum tamen carnali copulâ consummatum. Et ideo, licet matrimonium infidelium sit legitimum, non tamen est Ratum, quia non est Sacramentum, ut dicitur in c. *Quantò, de divort.* quia Sacramentum, contractum elevans, matrimonium ratificat, ut notat Pereyra cit. n. 1671. licet Castrop. P. 2. D. 5. de spons. p. 1. n. 4. censent, propterea Ratum dici, quia inter fideles signatur Sacramento fidei, nimirum baptismo. Præter insolubiliter, quam habet, in quantum est legitimum ex institutione auctoris naturæ, secundum dicta n. 441. habet etiam insolubiliter ex significatione Sacramentali, in quantum scilicet, teste Pereyra cit. significat, unionem Christi cum anima existenti in gratia, non solubilem nisi per peccatum grave; his præmissis.

444. Quæstio est, an matrimonium fidelium, ratum tantum, solvatur securâ solenni professione in Religione approbata? Resp. de hac quæstione agi in Trid. *Sess. 24. de Reform. can. 6. ibi: si quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum, per solennem Religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit.* Hæc intellige, de professione Religiosa, quæ verum religiosum solenniter professum constituit. Quare per emissionem votorum, quibus nec solennis professio constat, nec votens verus religiosus constituitur, non solvitur matrimonium ratum tantum, ut const. ex cit. Extravag. *Antiqua. Castropal. D. 3. p. §. 4. n. 1.*

445. Sed difficultas est, quo jure professio solennis hanc vim habeat, ut superveniens matrimonio rato, & non consum-

P 2

mato,

mato, illud dirimat? Variæ sunt opiniones Doctorum. Aliqui volunt, quod habeat *ex se*, ac *jure naturali*, pro quo refertur. S. Thom. in 4. dist. 27. q. 1. à. 3. Petrus Maria Passerinus de sextula tom. 2. de statibus hominum. q. 189. à n. 587. Alii, quod *jure divino positivo*; ut vult P. Sanchez l. 2. hic D. 19. n. 3. Basil. Pontius. de matr. l. 9. c. 5. & alii: alii demum, quod *jure solum Ecclesiastico*, ita Suar. tom. 3. de Relig. l. 9. c. 6. à n. 20. Less. l. 2. de Just. c. 41. d. 8. n. 69. & alii.

446. Ex his opinionibus illa videtur probabilior, quæ solenni professioni eam vim tribuit, ex solo jure Ecclesiastico. Nam Trident. cit. expressè hoc tribuit solennitati professionis, quod etiam conf. ex c. *Unico de Voto in 6.* ubi Bonifacius VIII. Episcopo Biterrensi, querenti, *quale votum debeat dici solenne, ac ad dirimendum matrimonium efficax?* respondit: *illud, quod fuerit solemnizatum per susceptionem sacri ordinis, aut per professionem expressam, vel tacitam, factam uni de Religionibus per sedem Apostolicam approbatis:* sed hæc voti solennitas est ex sola Ecclesiæ constitutione, ut expressè ibidem definit Pontifex; ergo vis (quam habet professio religiosa ad dissolvenda matrimonia fidelium rata, non consummata) est ex sola Ecclesiæ constitutione. Minor constat ex ipso textu, ubi Bonifacius VIII. ad dictum Episcopum scribens: *quod votum, inquit, debeat dici solenne, & ad dirimendum matrimonium efficax?* nos consulere voluisti: & respondens, ait: *Nos igitur attendentes, quod voti solennitas ex sola constitutione Ecclesiæ est inventa: matrimonii verò vinculum ab ipso Ecclesiæ capite rerum omnium conditore, ipsum in paradiso, & in statu innocentie instituyente, unionem & indissolubilitatem accepit: presentis declarandum duximus oraculo sanctionis, illud solum votum debere dici solenne, quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, quod solemnizatum fuerit, per susceptionem sacri ordinis, aut per professionem expressam, vel tacitam, factam alicui, de religionibus per sedem Apostolicam approbatis.* Reliqua verò vota, etsi quandoque manifestius sunt emissa, tanto propter plurimum scandalum, & exemplum durior poenitentia transgressoribus debeat: non tamen

rescindere possunt matrimonia post contracta.

Deinde, si professio religiosa *ex se*, & *jure naturæ* solveret matrimonium ratum tantum, etiam solveret matrimonium consummatum. Nam ex eo professioni Passerinus tribuit hanc vim *jure naturæ*, quod *ex se* importet *plenam sui corporis traditionem*, cum qua judicatur impossibile jus, quod in professi corpus habeat alius; sed hoc æque est in matrimonio consummato. Secundò matrimonium etiam consummatum, quoad *essentiam suam* consistere potest *cum solenni professione religiosa*, ut manifestum est in casu, quo Vir, & mulier (post matrimonium consummatum) de mutuo consensu solenniter in aliqua religione profitentur; ergo essentia matrimonii ut sic, (nam ratum, & consummatum non differunt substantialiter) & professio solennis, non sunt ex natura rei incompossibilia.

Dices cum Passerino n. 588. licet ab Ecclesia pendeat, donationem, quæ profrens se totum donat Religioni, acceptare sub his, vel aliis conditionibus, sic, ut professio priusquam acceptetur, non habeat vim solvendi matrimonium: ex suppositione tamen, quod professio semel existat *cum tali acceptatione*, de connaturali ipsius jure est, quod pariat illum effectum. Verùm hoc argumentum probat contra suum authorem. Nam professio juxta ipsum non dirimit, nec habet vim dirimendi matrimonium ratum, nisi ex suppositione talis acceptationis factæ ab Ecclesia; sed hæc suppositio non est juris naturalis, nec convenit solenni professioni ex se, seu jure naturæ; ergo vis dirimendi matrimonium ratum non convenit professioni solenni *ex se*, seu jure naturæ, sed solum ex suppositione juris Ecclesiastici in acceptatione professionis ad talem effectum disponentis. Et ratio est, quia, quod est de jure naturæ, necessarium est, non liberum Ecclesiæ; at quod professio religiosa dirimat matrimonium ratum, non est necessarium, sed pendet ex libera Ecclesiæ acceptatione illam ad hunc effectum ordinantis, ut fatetur Passerinus: ergo. Accedit, quod professio religiosa dirimat matrimonium ratum, solum, in quantum explicat *solennitatem*; hæc

hæc autem *solemnitas*, vi cuius habet eam vim, est juris tantum Ecclesiastici, non naturalis, ut manifestum est ex c. *Unico de Voto* in 6. supra relato. Unde non *qualiscunque professio*, seu vororum emissio constituens verè religiosum dirimit matrimonium ratum jam contractum; sed *professio solennis* in religione per sedem Apostolicam approbata. Nam de hac expressè loquitur c. cit.

449. Nec obstat, S. Thomam q. 53. a. 2. *supplementi*, censuisse, *solemnitatem* professionis religiosæ esse *juris divini, & naturalis*; & 2. 2. q. 88. a. 11. etiam à summo Pontifice esse *indispensabilem*: hoc, inquam, non obstat; quia S. Th. scripsit aliquot annis prius, quàm Bonifacius VIII. declaravit *solemnitatem* (quantum est ad efficaciam dissolvendi matrimonium ratum, non consummatum) esse solâ Ecclesiæ constitutione inductam. Unde hæc quæstione, quæ pendet ab Ecclesiæ tam aperta declaratione nondum factâ vivente S. Thomâ, non est ab autoritate S. Doctoris recedere, sed decretis summi Pontificis se conformare. Accedit, quòd ipse S. Thomas in 4. *sent. dist. 38. q. 1. a. 4. ad 3.* apud Fagnanum in c. *Cum ad monasterium n. 61.* in fine, concedat, Pontificem ob gravem necessitatem, vel communem utilitatem totius Ecclesiæ, Regni, vel Provinciæ, dispensare posse in voto continentiæ, & Religionis, quantumcunque foret solemnizatum.

450. Dices. 2. declarationem illam (quòd *solemnitas voti ex sola Ecclesiæ constitutione inventa sit*) solum loqui de *solemnitate accidentali*, non *substantiali*, quæ scilicet ex natura rei inest professioni religiosæ; ergo hæc antecederet ad constitutionem vel declarationem Ecclesiæ (consequenter ex se, & naturâ suâ) dicit efficaciam, dirimendi matrimonium ratum tantum; quia quòd semel sanctificatum est, non potest in alios usus commutari, *Leviticus ult.* Sic nemo potest facere, ut semel sanctificatum, sanctificationem amittat, etiam in rebus inanimatis: *substantialis* autem *solemnitas* voti consistit in quadam consecratione seu benedictione vorantis; ergo sicut Papa non potest facere, ut semel sacerdos, non sit sacerdos; sic non potest facere, ut semel professus, non sit professus; ergo non loqui-

tur ibi Pontifex de solemnitate *substantiali*, sed *accidentali*. Verùm hæc expositio profus aliena est à claro textu cit. capit.

Nam Pontifex ibidem non loquitur *de alia solemnitate*, quàm illa, de qua fuit ab Episcopo Biterrensi quæstio facta, *quæ nimirum solemnitas habeat illam efficaciam, inducendi effectum dirimendi?* cui respondens Pontifex ait: nos igitur *attendentes* (quòd *voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiæ est inventa*) declarandum duximus, *solemnitatem* (de qua quaritur) quantum est ad vim matrimonii *dirimptivam*, consistere in eo, quòd *emittatur in susceptione sacri ordinis, vel religiosa professione*; ergo manifestum est, totum responsum Pontificis *cum attentione* ad quæstionem propositam (prout notant verba *nos igitur attendentes*) directè dari de quæstione proposita: quæstio autem non fuit *de solemnitate accidentali* (hæc enim non habet efficaciam illam, matrimonium dirimendi, ut per se patet, & constat ex eo, quòd illam tribuat professioni etiam tacitæ, quæ fit sine solemnitate accidentali) ergo Pontifex in responzione sua declarans *voti solemnitatem ex sola Ecclesiæ constitutione esse inventam*, non loquitur de solemnitate accidentali, sed *substantiali*.

Ad probationem Resp. verum esse, 452. quòd nullus Ecclesiæ Prælati possit facere, ut homo semel consecratus DEO, quàm diu vivit, possit desinere esse consecratus DEO, si sermo sit de consecratione *Sacramentali*; secùs, si de consecrationibus, quæ sunt solum *de jure positivo* (sic passim videmus per autoritatem Papæ, Ecclesias, & loca, sacra in profanos usus, non fordidos, converti, juxta decretum Trid. *Sess. 21. c. 7. in fin.*) consecratio autem, quæ fit *in professione*, non est *Sacramentalis*, sed *juris tantum positivi*, nimirum ex sola Ecclesiæ constitutione, ut rectè notat Fagnanus *cit. n. 72.* ex cit. c. *Unico de Vot. in 6.*

Præter hæc nota, quando in c. *cum ad monasterium, de statu Monachorum*, dicitur (quòd *abdicatione proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeo sit annexa regule Monachali, ut adversus eam ne summus quidem Pontifex possit licentiam indulgere*) non aliud intendi, quàm quòd non

non possit dispensare in sensu composito (nimirum remanente Vinculo statûs Monachalis, seu Religiosi) secûs in sensu diviso, nimirum eo in persona, cum qua dispensat, soluto. Sic cum ferè communi Barbof. in cit. c. n. 14. Fagnanus cit. n. 67. ubi apertè dicit, quòd illa decretalis non aliud intendat, quàm quòd dispensatio Apostolica non possit facere, etiam ex causa, quantumvis gravi, ut quis perseveret Monachus, & sit absolutus à substantialibus Regulæ; cui consonat ibidem Cajetanus in 2. 2. q. 88. a. 11. concludens: ponderando literam illius decretalis, non inferri necessario indispensabilitatem voti solemniss, sed sic: scilicet stante Monachatu.

454. Cæterùm, quando ibi dicitur, nec Pontificem posse indulgere, ut sit religiosus sine abdicatione proprietatis, intelligitur de proprietate, quæ consistit in usu rerum temporalium independentè à voluntate superioris, vel in Dominio, & usu libero ad instar, quo illud habent cæteri seculares, ut rectè notat Barbof: cit. n. 11. & plures alii; non autem de proprietate, quæ consistat in solo dominio, cum etiam retentio dominio, sed vinculo ejus usu, possit esse vera religio, ut const. ex Bulla Gregor. XIII. incip. *quantò fructuosius*; & alterà incip. *Ascendente Dominio*. Sic cum voto solemnè castitatis stat jus conjugum, quod habent ad usum conjugalem, si post matrimonium consummatum legitime professi sunt; nec aliud vi illius voti ex natura voti castitatis solemnè professe illis interdicitur, quàm usus juris, ut certum est, ergo nec aliud ex natura voti paupertatis solemnè professe talibus professis, quàm usus bonorum temporalium, non autem jus, & dominium. Dixi ex natura talis voti. Nam secûs est ex Ecclesiæ constitutione. Ex hoc autem sequitur professioni religiosæ, seu voto solemnè, nec jure divino competere vim, & efficaciam, dirimendi matrimonium fidelium ratum, & non consummatum. Nam eam efficaciam non habet, nisi titulo solemniss, in eo sita, quòd emittatur in professione facta uni de Religionibus approbatis ex n. 446. sed hæc solemniss non est de jure divino, ut constat ex præmissis, ergo.

455. Dices. 1. in c. *desponsatam* 26. q. 2. dicit Eusebius Papa, parentibus, puellam

*desponsatam, non licere alii Viro tradere; licere tamen illi, si velit, monasterium ingredi*: hæc autem declaratio est juris prius statui atque à DEO divini, non autem nova ejus constitutio. 2. Alex. III. in c. *Ex publico, de convers. conjugat.* hanc efficaciam dirimendi matrimonium (quæ tribuitur religiosæ professioni) deducit ex interpretatione sacri eloquii. Et Innocent. III. in c. *Ex parte ead.* dicit, *si inter duos sit matrimonium ratum, & unus fieret hæreticus, & alter sine contumelia Creatoris non posset illi convivere*; illis viventibus non posse alterum in ullo casu ad secunda vota transire, nisi fortè ex revelatione divina; ergo vim solvendi matrimonium habet ex lege divina.

Resp. etsi jure scripto non sit expressum, quòd Pontifici potestas à Christo concessa sit, vim dirimendi matrimonium ratum, & tribuendi religioso statui solemnè professo, constare tamen ex traditione Ecclesiæ à tempore Apostolorum, ut not. Castropal. D. 3. *de sponsal. p. 2. §. 4. n. 5.* aliàs enim Pontifices non dicerent tam apertè, declarando eam vim, esse *inductam solo jure, & auctoritate Ecclesiæ*. Nec aliud probant allari textus in contrarium. Hujus rationem reddit Fagnanus cit. 61. ex Innoc. in cit. c. *Cum ad Monasterium*, quòd Pontifices, plures ejusmodi constitutiones, vel declarationes, ob graves causas meritò fecerint, v. g. ut, qui simpliciter vovit continentiam, validè matrimonium ineat, c. *Rursum, qui Clerici, vel vovent*: ut minor 14. annis non possit se obligare Religioni, c. *Ad nostram, de Regularibus*: quòd in quolibet voto intelligendum sit: *nisi aliter DEO placeat*; ergo etiam constitutione, aut declaratione potuit ejusmodi conditio tacitè inesse matrimonio fidelium, rato tantum, idque non naturâ suâ, sed vel Ecclesiæ constitutione, jam inde à temporibus Apostolorum, ut notavimus, nisi durante matrimonio nondum consummato, eligatur status perfectior Religionis approbata.

Deinde Resp. ad c. *Desponsatam*, 27. 457. quod habetur non *causâ 26. sed 27. q. 2.* ex illo nihil probari; textus enim solum dicit, dictam desponsationem *solvi non posse per parentes*, ibi: *desponsatam puellam non licet parentibus alii Viro tradere; licet*

licet tamen illi monasterium sibi eligere. Deinde ad c. Ex publico. 7. de convers. conjugat. Resp. ibi Alexandrum III. Brixientis Episcopo rescribentem, dicere, ex publico instrumento sibi innotuisse, quod, cum Veronensis Episcopus causam matrimonii, quæ inter A. Virum, & M. mulierem vertebatur, suscepisset terminandam, judiciali sententiâ matrimonium approbavit, & eidem mulieri præcepit, ut ad virum rediens, exhiberet eidem conjugalem affectum; quod, cum tenuerit, fuit vinculo excommunicationis adstricta; sed cum prædicta mulier opponeret, licet ei desponsata fuisset, tamen adhuc ab ipso est incognita, atque adeo inter ipsam, & dictum Virum esse matrimonium duntaxat ratum, non autem consummatum; quo intellecto Pontifex, mandavit, inquit, quatenus, si prædictus Vir ipsam carnaliter non cognoverit, & eadem ad religionem transire voluerit, recepta ab ea sufficienti cautione, quod vel ad religionem transire, vel ad Virum suum redire intra duorum mensium spatium debeat, ipsam à sententiâ, quâ tenetur, absolvas, ita, quod si ad religionem transiret uterque, restituat alteri, quod ab eo noscitur recepisse: & licet opponi posset, quod Dominus in Evangelio dicat, non licere Viro, nisi ob causam fornicationis, uxorem suam dimittere, tamen intelligendum esse, secundum interpretationem sacri eloquii, de his, quorum matrimonium carnali copulâ est consummatum, sine qua consummari non potest: at ex hac decretali non colligitur, Pontificem dicere, quod professio religiosa jure divino habeat vim dissolvendi matrimonium ratum tantum; sed tantum, quod ille textus scripturæ (quo unum conjugum altero invito non licet solvere matrimonium, transiitendo ad religionem) intelligendus veniat de matrimonio consummato, non autem merè rato; Ergo.

458. Ad c. Ex parte 1. q. eod. Resp. id, quod inde desumitur, non facere ad intentum objectionis; nam cum Archiepiscopus Lugdunensis Innocentio III. proposuisset, quod, cum quædam mulier velum viduitatis coram duobus Abbatibus assumpsisset, benedictione solemnî, cum celebratione missæ ac litanîæ (sicut debuit) accedente, quidam nobilis proponebat, se

prius mulierem ipsam mediantibus interuentiis per verba de præsentî arrhâ etiam interpositâ, desponsasse: & petebat, ut dispensatione factâ super assumpto velo, mulier ad consummandum matrimonium compelleretur. Cum autem illa, se in illum consensisse confessâ, nihilominus opponeret; quod, cum audierit, eum esse leprâ percussum, propter hoc ejus fuerit abominata complexus, consequenter matrimonium nondum consummaverit, ad propositam Archiepiscopi questionem; quid sibi agendum esset, cum per testes idoneos intellexerit plenâ fide, quod ante susceptionem veli mutuis intervenerit inter ipsos per verba de præsentî consensus: an nihilominus veli susceptio impediat matrimonium inter ipsos?

Ad quod rescribens Innocentius III. 459. nos, inquit, inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod, etsi possit non inconsultè videri, quod ex quo matrimonium inter legitimas personas per verba de præsentî contrahitur, illis viventibus in nullo casu possit dissolvi, ut vivente reliquo, alter ad secunda vota transigret, etiam si unus fidelium, inter quos est ratum conjugium, fieret hæreticus, & nollet permanere cum altero sine contumelia Creatoris: nisi forte secus fieret ex revelatione divinâ, quæ superat omnem legem: sicut à quibusdam sanctis legitur esse factum. Nos tamen nolentes à prædecessorum nostrorum vestigiis declinare, qui respondere consulti, antequam matrimonium sit per carnalem copulam consummatum, licere alteri conjugum, relicto inconsulto, ad religionem transire, ita quod relictus ex tunc legitime poterit alteri copulari: hoc ipsum tibi consulimus observandum in articulo prænotato, quamvis falsa sit causa, per quam ad susceptionem veli prædicta mulier est inducta, cum sine qualibet tali causa id ipsum religionis obtentu facere potuisset. Porro licet prædicta mulier videatur in veli susceptione religionis habitum assumpsisse, si tamen velit in domo propria manere, quasi propositum castitatis in sæculo servatura, nihilominus consummandum est matrimonium jam contractum, nisi se voto adstrinxerit ad observantiam regularem: in quo casu compelli potest, ut relicto sæcu-

saeculo, religionis propositum exequatur.

## §. 3.

## De matrimonio Consummato.

460. Matrimonium consummatum dicitur, cui legitime contracto accessit perfecta carnalis copula, vel subsequens, vel comitans; quod addendum videtur, quia jure antiquo Sponsalia de futuro subsecuta inter sponfos copula, hoc ipso praesumptione juris de jure transibant in matrimonium. Non sufficit autem qualiscunque copula, sed requiritur, ut sit perfecta, quæ nimirum per se loquendo sufficit ad generationem prolis, quæ conjuges fiant una caro. Ut perfecta sit, prout requiritur, ut matrimonium dicatur consummatum, requiritur virile semen intra vas naturale mulieris à viro immitti, ac ab eadem recipi, ut colligitur ex c. Extraordinaria, 35. q. 2. & 3. Quare non sufficit, si vir vas naturale mulieris penetret, sed semen non immittat; aut mulier non feminet; cum ad generationem prolis, juxta non improbabile aliorum judicium, etiam requiratur, quod femina semina-verit, ut notat Castropalaus. D. 3. de spons. p. 2. §. 1. n. 1. dicens tamen, contrarium communi Doctorum judicio firmatum esse. Ex hoc sequitur, matrimonium non dici consummatum, propter copulam inter sponfos habitam ante matrimonium contractum; sic enim nec subsequitur, nec comitatur matrimonium.

461. Quæstio autem est. I. quale privilegium Conjugibus pro ingressu Religionis concessum sit ante matrimonium consummatum? Resp. Conjugibus, contracto etiam ritè matrimonio, concessum esse, ut liceat ejusdem consummationem sibi invicem negare primo bimestri, quo liberum habeant, si velint, transiitum ad religionem, ut dicitur c. Ex publico, de convers. Conjug. à nobis relato supra n. 457. ubi etiam habetur, quod si unus eorum Religionem ingreditur, Judex Ecclesiasticus illum compellere possit, ut vel emitat in eod. professionem solemnem, vel ad conjugem revertatur, ut habetur cit. c. Prædictum bimestre non intelligitur concessum pro solo ingressu religionis cum effectu, scilicet per ipsam professionem; c. ex parte 16. de convers. conjug. de

quo supra; sed etiam pro ingressu in nōd viciatum, ut notat Sanchez. l. 2. D. 24. d. n. 4. manente facultate à jure concessa probationis faciendæ per annum ante professionem,

Quamvis autem, ut dicitur in c. ad 462. Apostolicam. 16. de Regularibus, annus probationis de consensu Novitii, & Religionis coarctari possit; secus tamen est de consensu remanentis in seculo, quia hoc illi concessum esse, nullo jure invenitur. Unde infert Sanchez. cit. si quis matrimonio, adeptæ pubertate, contracto, intra primum bimestre, à die contracti matrimonii computandum, ineat Novitium Religiosum, manentem in seculo teneri expectare, dum alter anno 16. ætatis completo profiteri possit. c. ad Apostolicam, ubi dicitur, professionem nec fieri, nec recipi debere intra tempus probationis; sed factam, & receptam tenere. Nam, Monachum fieri ante unius anni probationem, regularis institutio interdicit, ut ait Innocentius III. in cit. c. ad Apostolicam. Cum autem L. 2. quæ pro Tribunali, ff. de sent. & re judicat. Judicibus concedatur, tempus à jure præscriptum, vel imponendum, posse arctare, vel prorogare: idem etiam dicendum est de hoc bimestri, in casu urgentis causæ; ita Sanchez. cit. n. 12. & colligitur ex textu in c. ad Apostolicam, ibi: licet tempus probationis à sanctis Patribus sit indultum, non solum in favorem conversi, sed etiam monasterii, ut & ille asperitates istius, & istud mores illius valeat experiri: (quod utrumque diligenter est observandum, præsertim cum ab utroque de reliquo facta certa notitia non habetur) si tamen ante tempus probationis regulariter præfinitum, is, qui converti desiderat, habitum recipit, & professionem emittit, Abbate per se, vel per alium professionem recipiente Monasticam, & monachalem habitum concedente, uterque renuntiare videtur ei, quod pro se noscitur introductum: ideoque obligatur per professionem emissam pariter & acceptam ad observantiam regularem, & verè Monachus est censendus: quia multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent firmitatem. Prohibendum est autem Abbatibus, ne passim ante tempus probationis quoslibet indirectè recipiant: et si contra formam præscriptam quoslibet indirectè

feretè receperint; animadversione sunt debita corrigendi: cum in subsidium fragilitatis humanæ spatium probationis sit regulariter institutum.

463. Si petas, an transacto bimestri sic negetur conjugibus facultas ingrediendi religionem, ut; si post illud nec dum consummatum sit matrimonium, nequeant Religionem eligere? Resp. negativè; quia electio status religiosi conceditur, quantum ad matrimonium consummatum non est, ut collig. ex cit. c. Ex publico, de quo diximus supr. ita Coninch. D. 26. d. 4. n. 49. Hoc bimestre conceditur omnibus conjugatis, licet prius de ingressu religionis non cogitaverint, juxta gloss. in c. Conjuges 27. q. 2. V. primum, & plures alios, apud Sanchez. cit. n. 25. quamvis Castropal. cit. §. 5. n. 7. cum aliis, iudicet, concessum illis tantum, qui animam habent Religionis capeffendæ, cum Pontifices id concesserint ob bonum Religionis. Licet igitur conjugibus, etiam contracto ritè matrimonio, ante illius consummationem, transire ad religionem, & finitâ probatione professionem emittere; quo posito, matrimonium solum manet, & alter in seculo remanens, liberè transit ad alias nuptias; non tamen licet illis contrahere matrimonium animo firmo, eo contracto, sed non consummato; religionem ingrediendi, extra casus relatòs supr. cuius ratio est ex dictis ibidem. Hinc collig. conjuges, primo bimestri, non teneri ad reddendum sibi mutuo debitum, nisi sponte cedant juri, quod habent sibi concessum à jure pro eo bimestri, ad deliberandum de Religionis ingressu: si quis autem eorum intra primum bimestre, non statuit Religionem ingredi, eo elapso tenetur ad reddendum debitum alicuius penitentis. Quia tunc expiravit privilegium eum deobligans ab obligatione reddendum debitum.

464. Questio est. 2. an Coniunx, primo bimestri vi oppressus, nihilominus possit Religionem ingredi? Hæc questio, utrum per copulam primo bimestri, à die contracti matrimonii, per vim extortam, consummetur matrimonium, ut propter hoc, nulli eorum deinde intra illud tempus liceat ad Religionem transire? à pluribus movetur. Quidam apud Sanchez. l. 2. hic D. 22. n. 3. negant, consummari;

Tom. IV.

volentes tale matrimonium adhuc manere dissolubile per ingressum Religionis. Verùm Resp. per talem copulam, si perfecta sit juxta n. 460. matrimonium omnino reddi consummatum; tum quia sic copula consummata est; tum quia per talem copulam contrahitur affinitas, quæ tamen non nascitur ex qualicumque copula; sed solum perfecta, quæ nimirum per se apta sit, ad generationem prolis, ut jam dictum est cit. n. 460.

Si petas, an per talem copulam, matrimonium ratum fidelium reddatur simpliciter indissolubile? Resp. quòd sic; quia sic matrimonium fidelium consummatum, est simpliciter indissolubile propter significationem Sacramentalem, quæ denotat indissolubilem Unionem Verbi cum natura humana, & Christi, cum Ecclesia, ut dicemus infra: Sed matrimonium ratum fidelium, per ejusmodi copulam redditur omnino consummatum, ex priorum ergo, simpliciter indissolubile; quo tamen non obstante;

Dicendum probabilius esse, etiam in 465. illo casu, per se loquendo, licere taliter oppressæ, religionem ingredi; quia mulier per talem copulam extortam, passa est gravem injuriam (cum Vir intra illud tempus non possit jure illam exigere, nec mulier eam teneatur reddere, ut infra dicemus) ergo Vir tenebitur consentire in reparationem damni, quod per injuriam mulieri causavit; hoc autem aliter reparari non potest, nisi consentiat, ut mulier, si velit, religionem ingrediatur; ita Sanchez. cit. n. 5. & alii. Dixi: licere per se loquendo; nam per accidens impediri potest, si exinde gravida effecta est, ne proli desit recta educatio, quæ vix bene fieri potest absque matre; dixi: licere Sponsa per vim oppressæ, nam oppositum est de Sponso eam opprimente; cum ex vitio suo non debeat habere commodum, & ipse per hoc à Sponsa nullam injuriam acceperit.

Dices tamen. 1. si per copulam, vi extortam, non ita consummatur matrimonium, ut oppressæ auferat jus transeundi ad religionem; nec affinitas nata per copulam vi extortam oppressæ auferet jus nubendi consanguineo opprimentis; sed secundum dicta; per copulam vi extortam non ita consummatur matrimonium;

Q

nium;

nium, ut oppressa auferat jus transeundi ad religionem; ergo nec affinitas nata per copulam vi extortam auferat jus oppressa nubendi consanguineo oppressoris. Resp. per copulam, vi extortam, mulieri oppressa auferri quidem jus, ei competens, ex privilegio (stante matrimonio solum rati) transeundi ad religionem, & sic tale matrimonium dissolvendi; non auferri tamen jus ad faciendam sibi reparationem damni ab opprimente causati; cum hoc non sit ex vi privilegii, sed ex natura rei, & damnum solo consensu opprimentis reparari possit, & debeat: damnum autem oppressa natum per affinitatem ex copula vi extorta (ne scilicet possit nubere oppressoris consanguineo) etiam supposita tali copula, & matrimonio verè consummato non potest reparari solo consensu oppressoris. Quare N. maj. seu sequelam; nam licet oppressa per eam vim tollatur jus competens ex privilegio ingrediendi religionem; sicut in altero tollitur jus nubendi oppressoris connubio, & in hoc ambo conveniant; discrimen tamen est, quod jus utriusque nascens ex injuria, exigens reparationem damni, non sit utrobique reparabile eod. modo per consensum oppressoris, ut dictum est.

467. Dices. 2. ut matrimonium sit consummatum consummatione matrimonium reddente indissolubile vi perfectæ significationis Sacramentalis, ejus consummatio non minus esse debet voluntaria Conjugibus, quam Unio Christi cum Ecclesia, vel Verbi cum natura humana fuerit voluntaria Christo, & Verbo: sed hoc non contingit in casu, quo Sponsa per vim opprimitur. Resp. 1. Ex hoc argumento instari sic posse contra ipsum arguentem: ergo, sicut sufficit, quod Unio illa Christi cum Ecclesia, & Verbi cum natura humana, fuerit voluntaria, & libera soli Christo, & Verbo, quin necessariò effectus sufficiat, quod ea copula fuerit libera uni Conjugum, scilicet opprimenti; sequela non admittitur; ergo nec patitas.

468. Resp. 2. perfectam significationem Sacramentalem, quam habent matrimonia fidelium consummata, haberi ab unione Christi, & Verbi, sumpta quoad substantiam; non quoad modum: substantia verò

ejus est in hoc, quod natura humana sit assumpta in identitatem suppositi cum Verbo divino, ad quod nihil confert modus (assumptionis libera) qui solum aliunde nascitur, nimirum ex perfectione DEI necessario liberi in operationibus ad extra; quare nego maj.

Dices. 3. tunc solum in esse consummati, matrimonium constituitur, quando per actum justitiæ commutativæ conjunx petit, & alter reddit, quod debet, atqui hoc non contingit, quando unus alterum intra primum bimestre vi opprimit, cum eo tempore nec opprimens jure petat, nec oppressa jure debeat. Accedit, ut matrimonium dicatur consummatum, non sufficere conjuges fieri unam Carnem per copulam vi extortam; cum fieri debeat per redditionem repræsentativam unionis Christi cum Ecclesia, qualis non est in dato casu. 2. affinitas oritur ex quavis copula etiam illicita, non autem consummatio matrimonii, 3. quia æquum non est, ut conjunx innocens illo favore, religionem ingrediendi, à jure concesso, absque sua culpa privetur, licet ex parte alterius, qui vim intulit, illi favori sit renuntiatum.

Resp. nego maj. quia sic nec foret consummatum, etiam elapso bimestri, quando Vir mulierem opprimit ex gravi, justissimaque causa recusantem subire copulam (ut si foret periculosè infirma) eo enim casu nec Vir petit, nec mulier reddit, quod debet; cum pro tali casu deobligetur jure naturali ab obligatione reddendi debitum. Certè qui mulierem liberam vi opprimit oppressione prolis susceptæ inductivâ, verè committit copulam consummatam, & perfectam, esto absit consensus mulieris; ergo si inter opprimentem & oppressam sit matrimonium, erit verè consummatum, licet mulier in eam oppressionem non consentiat.

Ad id, quod additur, Resp. cum constet ex dictis, ad perfectam significationem Sacramentalem, sufficere, quod repræsentet Unionem Verbi cum natura humana, sumptam quoad substantiam (cum ex hoc habeat significare Unionem Christi cum Ecclesia) nihil amplius requiri. Ad 2. Resp. sicut affinitas non oritur nisi per copulam consummatam, seu perfectam, nempe illam, quæ per solvendo suffi-

sufficit ad generationem proles; ita nec matrimonium dici consummatum: sed illud sic, esto copula vi sit expressa; ergo & illud.

472. Ad. 3. Resp. Sponsam, vi oppressam, non privari jure acquisito ex privilegio, propter aliquam suam culpam, requisitam in subiecto ad gaudendum tali privilegio, quod specialiter respicit favorem Religionis amplectendæ, etiam ab illis, qui habent vinculum conjugale, solum ratum.

## §. 4.

## De Matrimonio presumpso.

473. Presumptio hic supponit pro conjectura in rebus dubiis, per rerum circumstantias frequenter evenientibus. Cum enim non raro fiat, in certis casibus deficere probationes, quibus in certam noticiam rei, quæ definienda est, perveniri possit, presumptionibus juvamus, quæ saltem, ubi veritas non habetur, locum habent. Et quoniam olim matrimonia, simpliciter clandestina, validè contrahebantur; ac iis sic contractis conjuges malitiosè se separabant, magno animarum suarum damno, non suppetentibus alteri spoliato legitimis contracti matrimonii probationibus pro restitutione, quam quærebat; tam Actor quàm Judices presumptionibus juvabantur, quæ saltem in foro externo obtinebant.

474. Not. autem, multis modis matrimonium dici presumpsum. 1. si non constet consensum matrimonio essentialem esse præstitum; sed tantum ex aliquo signo, vel actione conjicitur, illum intervenisse; & hoc casu matrimonium dicitur presumpsum *presumptione consensûs conjugalis*; 2. si constet de consensu per verba de presenti præstito, sed dubitatur, an non sit extortus metu, vi, coactione, & præsumitur ex aliquo deinde signo, vel actione subsequatâ, quod metus sit purgatus, hoc est, quod vel secutus sit alius consensus, vel prior rectificatus extra statum metus, coactionis &c. 3. si constet de consensu præstito sub conditione, & postea ex quadam actione, vel alio signo subsequuto præsumitur, conditionem esse remissam; his præmissis.

Tom. IV.

Not. 2. quod jure antiquorum Canonum, Sponsalia de futuro transibant in matrimonium hoc ipso, quod post illa inter Sponsos habita fuerit carnalis copula, ut dicitur c. *Veniens*; 5. de sponsal. ubi habetur casus, quod quidam in domo sua mulierem receperit, de qua prolem habuit, cui fidem coram pluribus præstitit, quod eam duceret in Uxorem: interim autem, cum apud domum vicini sui pernoctaverit, ejus filia nocte illâ secum concubuit, quos pater puellæ simul in uno lecto inveniens, ipsum eam per verba de præsentibus desponsare coegit, ac exinde dubitaretur, cui talis Vir adhærere debeat? Pontifex respondit: mandamus, quatenus si inveneris, quod primam post fidem præstitam cognoverit, ipsum cum ea facias remanere: alioquin secundæ (nisi metu coactus, qui posset in Virum constantem cadere, eam desponsaverit) adhærere facias ut Uxori; id quod etiam constat ex c. *Is, qui 30. de sponsal.* ibi: *is, qui fidem dedit M. mulieri super matrimonio contrahendo, carnali copulâ subsequatâ, si in facie Ecclesiæ ducat aliam & cognoscat, ad primam redire tenetur*: quia, licet presumpsum primum matrimonium videatur, contra presumptionem tamen hujusmodi non est probatio admittenda. Ex quo sequitur, quod nec verum, nec aliquod censetur matrimonium, quod de facto est postmodum subsequutum. Et tale matrimonium dicebatur matrimonium presumpsum *presumptione consensûs*; eò quod jus ex tali actu præsumperit, eam copulam esse factam, non animo fornicario (quia delictum non est præsumendum, sed probandum) sed animo conjugali, atque adeò cum vero consensu in matrimonium de præsentibus.

Dixi: matrimonium fuisse presumpsum post Sponsalia de futuro, secutâ copulâ inter Sponsos; quod intellige de copulâ consummata, non autem solum attentata, seu non perfecta, nimirum si tantum fuit conatus sine vasis penetratione; vel etiam vasis penetratio, sed sine seminis admissione in illud: nam hoc requiritur, ut copulâ dicatur perfecta, & consummata. Deducitur ex c. *Adolescens*, 32. de sponsal. ibi: *adolecens, qui desponsatam sibi per verba de futuro, licet sapientis fuerit, carnaliter non cognoscens, eum alia postmodum per verba de præsentibus*

Q 2

contra

*contraxit*: non primam, cum qua nec fuit verum matrimonium ex forma contractus: nec præsumptum, cum conatus non habuisset effectum: secundam debet habere uxorem. Ex quo colliges, jure antiquo, in foro externo, valida fuisse matrimonia præsumpta, ubi licet de consensu non constaret in foro externo, nisi ex ejusmodi præsumptione, intervenisse dicebatur.

477. Cæterum, hodiè, & jure novo Trid. Sess. 24. de reform. Matr. c. 1. matrimonia præsumpta, ubi consensus non nisi ex præsumptione constat, non valent in iis locis, ubi publicatum, & usu receptum est ejus decretum, irritans matrimonia simpliciter clandestina, seu contracta sine præsentia Parochi, & Testium: valent tamen in iis locis, ubi hoc ejus decretum locum non habet, ut dicemus infra; & quidem adeo, ut non admittatur probatio in contrarium, ut not. Barbof. in c. Commissum, ib. de sponsal. n. 9. quia nicitur præsumptione juris de jure.

478. Dices: ergo si quis in loco, ubi Trid. non est usu receptum, quoad decretum irritans matrimonia clandestina, contraheret Sponsalia de futuro, &, non animo maritali, sed verè fornicario, carnaliter cognosceret Sponsam, eo ipso Sponsalia transirent in matrimonium sic, ut, si cum alia contraheret Sponsalia de præsentibus, deberet etiam in foro conscientie morari eum prima, & matrimonium cum secunda nullum foret. Resp. illatum concedi, & fusè defendi à Barbofa in c. Commissum de sponsal. n. 7. & 8. sed contrarium dicendum est cum D. Thoma, quod lib. 7. a. 5. & communi Theol. quia si teneretur in foro conscientie manere cum prima, in quam per verba de præsentibus nunquam ipsa consensit, ut ponit casus, in conscientia teneretur conjugaliter vivere cum non sua, quod jure naturali & divino illicitum est. Dixi: in foro conscientie. Nam in foro externo, spectato jure veteri, judicabitur ex c. commissum 16. h. t. illa Sponsalia, secuta copulâ, transivisse in verum matrimonium. Ecclesia enim non judicat de internis, sed solum de externis. Copula vero carnalis cum Sponsa, post Sponsalia de futuro, juxta forum externum, vi juris antiqui, significat consensum conjugalem de præsentibus adeo in-

dubitato, ut teste Barbofa cit. n. 9. non admittatur probatio in contrarium per confessionem partis; quia malum, quod sequitur ex eo, quod cum Sponsa carnaliter cognita manere cogatur, caveri potest, supplendo quocunque tempore verum consensum; & illud minus est periculo, damnabiliter recedendi à matrimonio, quod foret, si admitteretur probatio, per confessionem partis. Excipe, nisi negotium foret tale, quod partium consensu dissolvi posset; tunc enim, ut rectè vult Barbofa cit. etiam contra præsumptionem juris de jure probatio admitti posset.

Si dicas: ergo Sponsus in dato casu, per sententiam compulsus, licitè conjugaliter vivet cum Sponsa, esto eam post sponsalia de futuro non maritali, sed solum fornicario affectu cognoverit, præsertim si ad hoc cogatur per censuras. Resp. in foro conscientie non posse; quia uteretur non sua. Hinc deberet potius pati omnes censuras (hoc enim non est peccatum) quàm illi carnaliter copulari, nisi reverà intercesserit consensus conjugalis, ut dictum est supra.

Difficultas est, an hodie, ac post Trid. 480. dent. in locis, ubi prædictum ejus decretum legitime publicatum, & usu receptum est, valeant matrimonia præsumpta, non de consensu, sed de metu purgato, vel conditione remissa; si quis eorum, qui per verba de præsentibus pure contraxerunt coram Parocho, & testibus, sub conditione tamen mente retentâ, & nullo modo coram illis expressâ; reclamet contra matrimonium, allegando consensum metu extortum, vel conditionem adimpletam non esse? Resp. in foro externo judicandum pro valore matrimonii etiam hodie; quia circa præsentem casum, ubi constat de consensu, nihil innovavit Tridentinum, sed omnia reliqua sub dispositione juris antiqui; jure autem antiquo talia matrimonia valent, c. Ad id, 21. de sponsal. ubi dicitur, quod matrimonium contractum spontaneâ cohabitatione convalescat. Nam cum Clementi III. propositum esset de quadam muliere, quam suus Vitricus cuidam Teutonico, initio invitam, matrimonialiter copulavit, respondit Pontifex: quod, quamvis undecim annos habens, ab initio invita fuisset ei tradita, & renitens: tamen quia

quia postmodum per annum & dimidium sibi cohabitans consensisse videtur, ad ipsum est cogenda redire: nec de cetero recipiendi sunt testes, si quos memorata mulier ad probandum, quod non consenserit in eundem, nominaverit producendos: cum mora tanti temporis huiusmodi probationem excludat. Mandamus igitur, ut propter hoc non omittas, quod minus utrumque compellas ad alterum maritali affectione tractandum, nisi forte vellent ad religionem pariter convolare, poenitentia eis injuncta pro eo, quod ad alienos & illicitos concubitus uterque transiit. c. *Insuper*. 4. *Qui matr. accus. poss.* ubi puella, (quæ invita desponsata, postea sponte cognita) reclamanti contra matrimonium, audientia negatur, quod presumatur per spontaneam copulam metus purgatus. In hoc itaque casu, inquit Clemens III. sentimus, quod adversus matrimonium audiri non debet, quæ ante cognitionem sui legitimum annum attingens, cum potuit, minimè reclamavit; sicut enim ante legitimum consensum (qui in duodecimo anno spectatur) potuit dissentire; sic postquam legitimo tempore accedente semel etiam copula carnali consensit, ex ratihabitione sibi super hoc silentium non ambigitur indixisse. c. 2. de conjug. servor. ubi jubetur Vir adherere mulieri, quam duxit, ignorans esse ancillam, si post hujus noticiam eam cognovit; quia ex hoc presumitur renuntiasse privilegio competenti ex ignorantia conditionis servilis, de quo dicemus tit. 9. idem colligitur c. 1. de his que vi. c. fin. de Raptor.

431. Et ideo, si quis in facie Ecclesiæ contrahit per verba de præfenti, sed apposita conditione (siq; subsequitur copula carnalis non coacta, sed spontanea, cum Sponsa) in foro externo censetur conditionem remisisse, & matrimonium valebit absolute, quia præsumptio non est de consensu, sed conditionis remissione. Et sic esse decisum à Sacra Congr. CC. Trid. 13. Aug. 1622. testatur Barbosa in *collectan. decision. Apostolicar. Collectan.* 465. n. 22. V. *matrimonium*. Quod autem ex copula sectita re- & conditio remissa præsumatur, habetur in c. *Peritius*, de *condition. appof.* ibi: quia videtur à conditione interposita recessisse.

Dixi: si consensus externus purè datus 432. est coram Parocho, & testibus, licet contrahentes mente retinuerint conditionem, mutuam conventionem appositam, sed non expressam. Quia in tali casu legitime probari potest etiam in iudicio per testes jure Trid. requisitos, matrimonium esse purè contractum. Nec aliud exigit forma Trid. ad valorem matrimonii. Hinc etiam Gonzalez ad c. 21. de sponsal. n. 5. docet, si matrimonium coram Parocho, & testibus nulliter contractum fuit, propter metum, vel simile impedimentum occultum, non amplius ad ejus revalidationem desiderari solemniratem CC. Tridentini; quod ejus decretum hunc casum non comprehendat; quia ratio, propter quam Concilium decrevit, matrimonium non valere, nisi contractum coram Parocho, & testibus, est, ut vitentur gravia peccata, ex clandestinis nuptiis provenientia; quæ ratio non habet locum in præfenti casu, cum matrimonium prius nulliter contractum, in foro Ecclesiæ validum, reputetur, nec ullâ ratione sit clandestinum.

Controversum est, an hodie matrimonium in foro externo, censendum sit 433. validum, si coram Parocho, & testibus consensus externè manifestatus est per verba de præfenti, adjectâ simul externè conditione aliqua, de cujus eventu, seu purificatione non constaret Parocho, & testibus, atque adeo consensus prout absolute coram illis nunquam præstitus sit? Resp. valere matrimonium sine novo consensu (cum impleta est conditio) probabilius est; quia sic adest mutuus consensus coram Parocho & testibus per verba de præfenti expressus, nec amplius suspensus, & pendens ab eventu futuro. Erit tenet Castropal. D. 2. de sponsal. p. 11. § 2. n. 5. cum aliis. Nec enim plus exigitur à Tridentino. An autem ad valorem matrimonii, juxta formam Trid. conditionis eventui, necessariò præfentes esse debeant Parochus, & testes? controversum est; negante Sanchez. l. 5. hic D. 8. n. 24. affirmante cit. Castropal. n. 11. quia vi Tridentini debent sic esse præfentes consensus, qui matrimonium constituit, ut de illo possint testari; sed solus consensus purus, non autem pendens ab eventu futuro, constituit matrimonium; ergo con-

consensui puro adesse debent, quod non fit, si adsint consensui expresso per verba de presenti externè apposita conditione suspensivâ.

484. Sed hoc, vi formæ à Trident. præscriptæ, non est necessarium. Ibi enim plus non exigitur, quàm ut, per testimonium Parochi, & Testium Ecclesie constare possit de consensu contrahentium expresso per verba de presenti, quin exigatur, ut illis consent omnia, quibus instructus esse debet consensus, prout matrimonium constituit, aliàs etiam deberent esse presentes, quando procurator accipit mandatum, & ut nomine constituentis contrahat; vel puberes prius se pubertatem adeptos esse, illis probare tenerentur &c. Quare satis est, conditionem reipsâ impletam, vel remissam esse, sic, ut in iudicio, & pro foro externo remissio, seu recessus à tali conditione sufficienter probetur, sufficere præsumptionem, quâ nitebatur jus antiquum, quando consensus (prout à Trid. requiri jam diximus) illis constat. Quare, si post Tridentinum celebratum sit matrimonium per verba de presenti coram Parocho, & testibus, de illo quoad reliqua iudicandum est, sicut ante Tridentinum, cum præter solennitatem Parochi, & Testium, ibi nihil immutaverit; ita Sanchez. l. 5. hic, d. 1. n. 1.

### §. 5.

#### De matrimonio Coactio.

485. Quæ vis, & coactio vitiet consensum ad valorem matrimonii tam jure naturali, quàm positivo necessarium à n. 389. sufficienter constat. Quia tamen inter impedimenta matrimonium dirimentia numeratur *Vis*, quâ liberos etiam invitos parentes, aut domini subditos, ad matrimonia cogant; item *Raptus*, cum mulieres vi abducuntur; quæ libertati matrimonii plurimum nocent, & quandam coactionis speciem præse ferunt, de hac quoque coactione breviter dicendum venit. Not. autem, nos agere hic de coactione præcisâ, & absoluta; hæc enim jure naturali omnem contractum facit irritum ex n. 391. sed *conditionalis*, quæ injustè cogit, vel matrimonium eligere, vel subire malum grave; ut amissionem bonorum, dotis, exhære-

ditionem &c. de quibus generaliter præmissum est, invalida esse matrimonia contracta per consensum metu gravi injustè incusso directè extortum, ut const. ex dictis à n. 434. his prænotatis.

Quæstio. I. de matrimonio coacto, metu exhæreditationis, pro qua dicendum, matrimonium à liberis contractum ex metu exhæreditationis cum injuria, seu injustè illis incusso à parentibus, eo sine, ut per hoc extorqueatur consensus in matrimonium, utroque jure nullum esse. Nam exhæreditari à parentibus est malum cadens in constantem Virum, saltem in casu, quo hæreditas cæteroquin obventura, est vel absoluta, vel respectivè magna, & liberorum statui vel indigentia cæteroquin debita; ergo si parentes metum talis mali per injuriam liberis incutiunt, eo sine, ut per hoc consensum in matrimonium extorqueant, tale matrimonium est nullum, non tantum jure naturali ex n. 434. sed etiam positivo ex n. 435.

Quæri autem potest, quando censetur *injustè* fieri exhæredatio, causâ matrimonii, à liberis initi contra voluntatem parentum? Resp. spectato jure naturali toties *injustè* fieri ob eam causam, quoties exhæredatio contingit propter matrimonium à liberis initum contra voluntatem parentum, quam in hoc casu licitè præterire poterant. Sic enim contrahendo liberi non delinquant; ergo si propter matrimonium initum contra voluntatem parentum, nihilominus exhæredentur, injustè fit exhæredatio. Quibus porro casibus liberi contra voluntatem parentum nihilominus licitè matrimonia in-eant; deduci potest ex dictis in præmissis supr.

Quæstio ulterior est, an parentes, spectato jure positivo, possint justè ac legitime liberos suos exhæredare, propterea, quod ipsi invitos matrimonium contraxerint? pro resolut. not. I. in authent. *Ut cum, de appellatione, collat. 8. c. aliud quoque capitulum*, non licere parentibus exhæredare liberos suos ex ulla causa, nisi ingratitude, nisi sit una ex 14. causis ibidem nominatim expressis, ibi: *ideo necessarium esse perspeximus, eas nominatim, præsentis lege, comprehendere, ut, præter ipsas, nulli liceat, ex alia lege, ingra-*

ingratiudinis causas opponere, nisi qua in  
hujus constitutionis serie continentur.

489. Textus sic habet: sancimus igitur, non  
licere penitus patri, vel matri, aut avo, vel  
avia, proavo vel proavia suum filium vel  
filiam, vel ceteros liberos præterire, aut  
exheredes in suo facere testamento, nec si  
per quamlibet donationem, vel legatum,  
vel fideicommissum, vel alium quemcunq;  
modum eis dederit legibus debitam por-  
tionem: nisi forsitan probauerint ingrati,  
& ipsas nominatim ingratiudinis causas  
parentes suo inferuerint testamento. Sed  
quia causas, ex quibus ingrati liberi debeant  
judicari, in diversis legibus dispersas, & non  
aperte declarat is invenimus: quarum aliqua  
nec digna nobis ad ingratiudinem visæ sunt,  
aliquæ vero, cum essent dignæ, prætermis-  
sæ sunt: ideo necessarium esse perspeximus,  
eas nominatim præsentis lege comprehen-  
dere, ut præter ipsas nulli liceat ex alia lege  
ingratiudinis causas opponere, nisi qua in  
hujus constitutionis serie continentur. Causas  
autem iustas ingratiudinis has esse decerni-  
mus. Et subjunguntur causæ nominatim.

490. 1. Si quis parentibus suis manus in-  
tulit. 2. si gravem & inhonestam inju-  
riam eis ingesserit. 3. si eos in criminali-  
bus causis accusaverit, quæ non sunt ad-  
versus principem, sive rempublicam. 4. si  
cum maleficis hominibus ut maleficus ver-  
satur. 5. vel vitæ parentum suorum per-  
venenum, aut alio modo insidiari ten-  
taverit. 6. si novercæ suæ, aut concu-  
binæ patris, filius se immisuerit. 7. si  
delator contra parentes filius extiterit, &  
per suam delationem gravia eos dispendia  
fecerit sustinere. 8. si quemlibet de præ-  
dictis parentibus inclusum esse contigerit,  
& liberi, qui possunt, ab intestato ad  
ejus successionem venire, petiri ab eo, vel  
unus ex his in suâ eum noluerit fidejussio-  
ne suscipere vel pro persona, vel pro de-  
bito, in quantum esse, qui petitur, pro-  
batur idoneus: hoc tamen, quod de fide-  
jussione censuimus, ad masculos tantum-  
modo liberos volumus pertinere.

491. 9. Si convictus fuerit aliquis libero-  
rum ex eo, quia prohibuerit parentes suos  
condere testamentum: ut si quidem post-  
ea facere potuerint testamentum, sit eis  
pro tali causa filium exheredandi licentia.  
Si autem in ipsa prohibitione, sine testa-  
mento aliquis ex parentibus decesserit, &

alii sive qui ab intestato ad hereditatem  
defuncti, aut cum ipso filio, qui testa-  
mentum fieri prohibuit, aut post illum  
vocantur, sive illi, quos hæredes, aut  
legatarios habere volebat, vel qui læsio-  
nem aliquam ex prohibitione testamenti  
sustinuerunt, hoc ipsum approbaverint:  
secundum alias leges super hoc positas ta-  
lia negotia terminentur.

10. Si præter voluntatem parentum 492.  
inter arenas, vel mimos se se filius fo-  
ciaverit, & in hac professione permanse-  
rit: nisi forsitan etiam parentes ejusdem  
professionis fuerint. 11. si alicui prædictis  
ex parentibus volenti suæ filia, vel nepti  
maritum dare, & dotem secundum vires  
substantiæ suæ pro ea prestare, illa non con-  
senserit, sed luxuriosam degere vitam ele-  
gerit: Si verò usque ad viginti quinque  
annorum ætatem pervenerit filia, & pa-  
rentes distulerint eam marito copulare, &  
forsitan ex hoc contigerit in suum corpus  
eam peccare, aut sine consensu parentum  
marito se, libero tamen, conjungere,  
hoc ad ingratiudinem filia nolumus im-  
putari: quia non suâ culpâ, sed parentum  
id commississe cognoscitur.

12. Si quis de prædictis parentibus 493.  
furiosus fuerit, & ejus liberi vel quidam  
ex his, aut liberis ei non existentibus alii  
ejus cognati, qui ab intestato ad ejus hæ-  
reditatem vocantur, obsequium ei, &  
curam competentem non præbuerint: si-  
quidem à tali sanatus fuerit infirmitate,  
erit ei potestas, utrum velit negligentem  
filium vel filios, aut cognatos, ingratum  
vel ingratos in suo scribere testamento.  
Si autem aliquo furoris morbo eum de-  
tentum extraneus aliquis viderit à suis ne-  
glectum liberis, vel cognatis, aut aliis ab  
eo scriptis hæredibus, & pro misericor-  
dia voluerit eum procurare: damus ei li-  
centiam, attestationem eis, qui ab in-  
testato, vel ex testamento jam facto ad  
furiosi hereditatem vocantur, scriptis di-  
rigere, ut eum procurare festinent. Si  
autem post hujusmodi attestationem ne-  
glexerint, & extraneus in suam domum  
furiosum susceptum sumptibus propriis  
usque ad finem vitæ ipsius procurasse  
monstratus fuerit: eum, qui obsequium  
ac diligentiam furioso exhibuit, licet  
extraneus sit, ad ejus successionem per-  
venire decernimus, evacuatâ institutione  
eorum,

eorum, utpote indignorum; qui furioso (sicut diximus) curam præbere neglexerint; ita tamen, ut cætera testamenti capitula in sua maneant firmitate.

494. 13. Si unum de prædictis parentibus in captivitate detineri contigerit, & ejus liberi, sive omnes, sive unus, non festinaverint, eum redimere: siquidem valuerit calamitatem captivitatis evadere: in ejus sit potestate, utrum hanc causam ingratitude testimonio suo velit adscribere, si autem per liberorum negligentiam, vel contemptum, non fuerit liberatus, & in captivitate decesserit, illos ad successorem ejus venire non patimur; quia non festinaverunt, ejus redemptionem citius procurare; sed omnibus liberis in hoc negligentibus res universas ab eodem relictas Ecclesiæ civitatis, ex qua oritur, applicari, inventario scilicet sub publicatæ testatione celebrando: ne quid ex ejus facultatibus pereat, ita, ut, quidquid exinde ad Ecclesiam pervenerit, captivorum redemptioni proficiat.

495. Fachinatus l. 6. *Controv. juris c. 78.* censet, quod parentes possint filios suos exheredare ex alia causa, quæ non sit ex ibi expressis, quæ tamen similis sit, vel major. 1. quia foret absurdum, & longè alienum à jure, si causa ingratitude major committatur, vel similis eis, quæ à lege expressæ, ac enumeratæ sunt, eam non eodem jure censendam, quo causæ lege Justiniani expressæ. 2. quia mens non fuit, alias ingratitude causas excludere, nisi quæ aliis legibus continentur, ut patet ex illo, ut præter ipsas nulli liceat ex alia lege, ingratitude causas opponere, nisi quæ in hujus constitutionis serie continentur. Hinc, cum inter causas ibidem expressas, propter quas parentibus exheredare liberos ingratos conceditur, undecima causa hæc ponatur: si alicui ex prædictis parentibus volenti suæ filię, vel nepri maritum dare, & dotem secundum vires substantiæ suæ pro ea præstare; illa non consenserit, sed luxuriosam degere vitam elegerit: hinc, inquam, inferunt aliqui, si filia in vitis parentibus nubat indigno; vel filius inhonestam uxorem ducat, justè fieri exheredationem, ut videri potest apud gloss. in cit. Auth. V. præter. & Card. de Lugo tom. 2. de Just. & Jure. D. 24. n. 166. in fine,

Verum, argumenta Fachinæi contra tam apertam Justinianæ constitutionis restrictionem ad solas illas causas ibidem expressas, non evincunt ejus extensionem ad alias non expressas *nominatim*, licet pares, vel majores. Nam licet verum sit, non posse omnes articulos singillatim, aut legibus, aut Senatus-Consultis comprehendere; sed, cum in aliqua causa sententia eorum manifesta est, eum, qui jurisdictioni præest, ad similia procedere, atque ita jus dicere debere, ut ait Julianus L. *Non possunt. ff. de legib.* hoc tamen non procedit, quando legislator legem suam, præsertim odiosam, & poenalem, expressè restringit ad solos casus *in lege nominatim expressos*. Ad. 1. igitur ejus argumentum Resp. negando sequelam; quia exinde fieret hoc ipso, quod lex, ad certos solum casus, restringi non posset à legislatore, nisi pateretur, ex ejus mente extensionem ad casus similes, vel majores; quod tamen dici non potest; cum tota vis legis positivæ, quæ talis præcisè, pendeat à voluntate legislatoris, non à ratione, nisi in quantum ab eodem acceptata est, ad præcipiendos vel prohibendos certos actus; sic ex nulla ratione, etiam ob identitatem, vel ob majoritatem rationis crimina excepta (quæ privant jure asylo Ecclesiastici) extendi possunt ultra expressa in constitutione Gregorii XIV. quæ incipit; *Cum aliis nonnulli*, ut disertè ait Pontifex ibid §. 2. Unde licet crimen *lese Majestatis humane in ipsam personam Principis* excludat Reum ab asylo Ecclesiæ, non tamen exclusum voluit ab eodem Reum *crimini lese Majestatis divina*, licet hoc illo majus sit.

Ad. 2. ejus argum. Resp. quod Justinianus omnes illas ingratitude causas, à lege suâ exclusas voluerit, de quibus ante ibidem locutus est, dicens: *sed quia causas, ex quibus ingrati liberi debeant judicari in diversis legibus dispersas, & non apertè declaratas invenimus; quarum aliqua nec dignæ nobis ad ingratitude visæ sunt, aliqua verò, cum essent dignæ prætermittæ: idèò necessarium esse perspicimus &c.* ut supra. Ex quo clarè patet, eum loqui etiam de causis prætermittis à legibus, atque adèò contentis, & non contentis in aliis legibus, si non sint expressæ in serie suæ constitutionis. Ex quo sequitur.

quitur. 1. si filia nubat digno, invitis parentibus, eam hoc præcisè titulo injustè exheredari. Nam ad hoc ejus parentibus nec jure naturali, nec jure positivo ullum jus concessum est, ut colligitur ex dictis; nec ex eo, quòd liberi ineant matrimonium contra voluntatem Parentum, etiam cum aliqua injuria, jure positivo illis concedi jus eos exheredandi, nisi injuria redundet in unam ex causis in Auth. *ut cum de appellatione §. aliud quoque capitulum*, nominatim expressis. Sequitur. 3. injustè filiam exheredari, ex hoc, quòd invitis parentibus nubat indigno, si prius non repudiavit nuptias cum dote à parentibus oblatas, nec luxuriosam simul ducere vitam elegit. Nam hæc causa, quòd nubat indigno, præcisè sumpta, non continetur in serie causarum, cit. Authentica, *nominatim* expressarum; secus est, si respicit nuptias à parente, cum justa dote oblatas, & vitam luxuriosam præligens, nuberet mancipio, ut colligitur ex Authent. cit. *§. Præter voluntatem*; ubi tamen requiritur, quòd id fiat à filia minore. 25. annis, quæ parentum nuptiis, cum dote debita rejeçtis luxuriosam simul vitam præligens, nupsit mancipio, ut recte notat Sanchez. l. 4. *hæc D. 24. n. 4.*

498. Nec obstat L. non autem 3. *§. si Emanicipatus. ff. de Bonor. possess. contra tabul.* ubi conceditur exheredatio nati ex filio, qui tam ignominiosam duxerit Uxorem, ut dedecori sit tam ipsi, quàm Patri. Nam hæc lex correctæ est per cit. Authent. *ut cum*; ubi decisum est, ob nullam aliam causam, quàm *ibi nominatim expressam*, posse filiam exheredari; hæc autem ibi non est expressa; sic gloss. *in cit. authent. V. exheredare*, & alii. Neque dicas inter causas ibidem expressas *§. si quis*, secunda est: *si gravem, & inhonestam injuriam eis ingesseris*; sed hoc præstant liberi, parentibus invitis ignominiosum ipsis & parentibus matrimonium ineutes; ergo. Resp. illam secundam causam non intelligi de qualicumque injuria solùm *indirectè*, per accidens, & *citra intentionem liberorum*; sed per se, & directè parentibus illatâs, cum hæc dispositio sit odiosa, & pœnalis, ut rectè notat Sanchez. *cit. n. 13.* ex P. Molina *tom. 1. de Just. tr. 2. D. 16.* at injuria ex hoc præcisè, quòd liberi matrimonium

indignum ineant, parentibus solùm infertur per accidens, & indirectè; ergo. Cæterùm Sanchez. *cit. D. 25. n. 2.* tanquam probabilius docet, leges, quæ parentibus concedunt jus exheredandi liberos ex eo capite, quòd ipsis invitis matrimonium, etiam indignum ineant, esse invalidas, & jure Canonico correctas, quia statuere impedimenta, quibus matrimonii libertas infirmetur, non est laicæ potestatis, & colligitur ex *c. Tuam de Ord. Cognit. C. causam, elige. 2. qui filii sint. c. 1. de sponsal.* Certum autem est, per metum exheredationis valdè minui, ac infirmari libertatem matrimonii, cæteròquin competentem liberis naturali jure; Ergo.

Quæstio. 2. est, an valeat matrimonium liberorum, initum ex metu non acquirendæ dotis à parentibus, si invitis parentibus ineant aliud, quàm parentes velint? Loquimur autem de metu gravi, injustè, ac directè incusso ad extorquendum consensum. Resp. invalidum esse; quia metus gravis, injustè, ac directè incussus ad extorquendum consensum, vitiat matrimonium ex dictis à n. 434. sed metus non acquirendæ dotis, est metus gravis, saltem in casu, quo ea necessaria est, vel ad alimenta, vel onera matrimonii; ergo si injustè ac indirectè incutiat à parentibus ad extorquendum consensum in tale matrimonium, matrimonium erit nullum, & invalidum.

Difficultas est, an parentes *injustè* negent liberis, dotem *ex hoc præcisè titulo*, quòd ipsis invitis ineant matrimonium; procedit autem hæc quæstio. 1. de casu, quo parentes non possunt licitè ac justè liberos exheredare ex eo titulo. Nam in casu, quo aliàs licitè possunt eos exheredare, possunt etiam dotem negare; dos enim, & alimenta æquiparantur in jure, ut rectè observat Everardus in locis legalibus, loco *ab alimentis ad dotem* à n. 1. saltem quando eadem est ratio in utroque, & contrarium non reperitur definitum in jure. Procedit. 2. solùm de casu, quo aliàs parentes tenerentur jure obligationis dotare liberos, si non nupsissent ipsis invitis. Unde quæstio est, an hæc præcisè causa, quòd ipsis invitis ineant matrimonium, sufficiens sit *ad justè negandam*

R

*dam illis dotem? Dixi: quando contrarium non reperitur definitum in jure.* Nam subinde causa dotis favorabilior est, quam alimentorum. Licet enim Pater filiae diviti non teneatur præstare alimenta (cum aliunde habet) tenetur ei tamen constituere dotem. Hæc enim non tantum illi constituitur, ut conjugium dequirat, & alimenta habeat, sed etiam. 1. ut matrimonii onera sustineat. C. Salubriter, de Usuris & L. pro Oneribus, de jure dotis. 2. ne à Viro spernatur, quod tamen facile contingit, si indorata sit, ut habetur in Authent. de Nupt. §. si quis itaque, Collat. 4. Ex quo sequitur, in hoc casu ab alimentis ad dotem non valere argumentum.

501. Resp. si petito consilio, nihilominus ipsis invitis ineant matrimonium dignum, ex hoc præcisè titulo dotem aliàs debitam negare, injustum esse. Nam dos extra hunc casum ponitur illis *jure debita*; nec per hoc, quod eo modo, quo dictum est, ineant matrimonium ipsis invitis, ex hoc præcisè titulo, ullà juris dispositione, amittunt illud jus (sic enim nullo titulo contra parentes, culpam eà juris privatione dignam, committunt, ut patet consideranti, & const. ex dict. n. 490.) ergo si contra illud dotem tunc parentes negant, injustè, seu cum injuria liberorum agunt. Dixi. 1. si matrimonium dignum ineant petito prius consilio; quod verum est, licet illud non sequantur. Nam ex hoc præcisè, quod eam sequelam omitant, non agunt contra suam obligationem ex dict. supr. Dixi. 2. matrimonium dignum. Nam filia licet minor 25. annis, per hoc, quod sine consensu Patris nubat digno, nihil egit, nisi quod pater facere tenebatur. Et hoc procedit, si filia promiserit, si ve non promiserit dotem, dum nuberet; ita Sanchez. l. 4. hic D. 26. à. n. 16.

502. Dubitatio est de casu, quo filius, vel filia nubit indigno, invitis parentibus, si aliunde alimenta non haberet? Resp. in tali casu, non tantum alimenta, sed cætera quoque liberorum onera teneri patrem præstare, definitum esse in L. 5. §. si vel Parens. ff. de liberis agnoscend. ubi gloss. V. Cætera, per hæc intelligit vestimenta, habitationem, pro se, pro suis liberis, & Uxore. Nam ex hac causa exheredari non potest; ergo nec alimentis privari,

intellige necessariis, ut not. Sanchez. cit. n. 19.

503. Si quæras, quando censeatur quis accipere conjugem, indignum suo matrimonio? Communis doctrina est, quando talem accipere fieri nequit sine dedecore talis familiæ, juxta mores talis Provinciae, vel Civitatis. L. si adulterium cum incestu. §. stuprum. ff. ad Legem Juliam de adulteriis; ibi: contumaciâ juris, & sanguinis contumeliâ. Cæterum Coniunx matrimonio indignus dicitur. 1. ex bonis animi, si sit malis moribus, ut mulier, quæ est meretrix; vel Vir, qui est meretricarius, vel Leno, L. sed ea. ff. de spons. ibi; indignum moribus, & turpem sponsum, & L. Nuptia C. de Nuptiis; ibi: etsi pares sint genere, & moribus. 2. ex bonis fortune, ut si sit notabiliter pauperior, nisi defectus ejusmodi mediorem aliunde compensetur, v. g. Nobilitate, idoneitate ad licitè lucrosa munia &c. 3. quando inter eos matrimonium consistere non potest; v. g. propter aliquod impedimentum, nisi in eo sit dispensatum. Nuptiæ enim debent esse convenientes de facto, & de jure; juxta gloss. L. si rogatus. §. matrimonii. ff. de manumiss. vindi. V. matrimonii, de quo amplius videri potest Peireyra in Elucid. n. 1987. ubi ait, etiam dici indignam personam mechanicam respectu nobilis; famulum respectu Dominæ; & universim, eas nuptias indignas, quæ non possunt celebrari sine aliquo dedecore, seu infamia alterius contrahentis.

504. Quæstio. 3. est, an valeant matrimonia, ad quæ subditi quandoque metu pœnæ, Carcerum, vel persecutionum, à suis Dominis, & Magistratibus coguntur? ante resolutionem supponendum, casum procedere de metu gravi. Nam levis non obstat ex dictis à 398. Deinde si metus injustè, ac directè ad finè talis matrimonii, de cujus valore quaeritur, sit incussus; quibus notatis dicendum, ejusmodi matrimonia utroque jure invalida esse. Ex dict. à n. 407. Et ideo in CC. Trid. Sess. 24. de Reform. matr. c. 9. Domini temporales, ac Magistratus, qui Viros ac mulieres sub eorum Jurisdictione degentes, maximè divites, vel spem magnæ hæreditatis habentes, vel quoscunque alios, minis, & pœnis directè vel indirectè cogunt, cum iis matrimonium contrahere, quos ipsi Domini, vel

vel Magistratus præscripserunt, ipso facto excommunicantur; ubi Barbof. *ibid.* n. 8. ad verbum *indirectè*, ait: quod *indirectè* alterum cogat, renuens illi debitum solvere, nisi tale matrimonium ineat; id, quod à fortiori procedit, si, nisi matrimonium ineant, quod ipsi volunt, eis hæreditatem paternam negent, fundos auferant, carceribus mancipent &c.

105. Ethoc, quod statuit Tridentinum cit. locum obtinet, quoties ejusmodi Magistratus, vel Domini seculares, per leges suas territoriales circa subditos suos ordinant in eorum matrimonii ea, quæ vel matrimonii valori, vel requisitæ libertati nocent. Nam huic cavendo tam per sacros Canones, quàm per hoc decretum Concilium specialiter providere voluit, & leges contrarias abrogavit; ne scilicet validitati, ac libertati matrimonii per eas præjudicetur; ut notat Joh. Bapt. de Luca l. 14. in annotationibus ad s. CC. *Trid. discursu.* 26. n. 36. ubi statim subjungit, *præjudicari per ea, que inducunt speciem pœnæ, ac privationis ejus, quod aliàs de jure certè competit.*

106. Ex hoc sequitur: omnes leges juris civilis, quæ transgredientibus statuunt aliquod *per modum pœnæ, vel privationis ejus, quod aliàs de jure certè competit; jure Canonico esse abrogatas in eo, quo præcipiunt, vel prohibent aliquid circa matrimonium, directè, vel indirectè concernens valorem, vel minuens libertatem;* quæ est communis interpretatio illius decreti. Cum enim Domini temporales, & secularis Magistratus condens ejusmodi legem, vel dicto modo, minis, & pœnis directè, vel indirectè cogens subditos ad matrimonia, quæ ipsi Domini voluerint, ipso facto excommunicantur, ut dictum est, iustæ esse non possunt; & cum grave peccatum foveant, in eo meritò ab Ecclesia reprobata sunt, cui omnes Christiani in his, quæ ad animæ salutem pertinent, subiecti sunt. V. dicenda infra, ubi plura de hoc particularia.

107. Quæstio est de matrimonio coacto per Raptum mulieris; pro resolut. *supp.* 1. jure antiquo matrimonium inter Raptorem & Raptam fuisse quidem illicitum, non tamen invalidum. *Illicitum*, quia Raptori statutum fuit anathema, & plures aliæ pœnæ, ut liquet. 1. ex c. *Eos, qui, 36.*

Tom. IV.

q. 2. *ibi, eos, qui rapiunt mulieres sub nomine simul habitandi, aut cooperantes, aut conniventes raptoribus, decrevit sancta Synodus, ut si quidem Clerici sunt, decidant proprio gradu: si verò laici, anathematizentur.* c. de puellis, ead. c. & q. *ibi: de puellis raptis, necdum desponsatis in Chalcedonensi Concilio statutum est, eos, qui rapiunt puellas sub nomine simul habitandi, cooperantes, & conniventes raptoribus decrevit sancta Synodus, ut si quidem Clerici sunt, decidant proprio gradu: si verò laici, anathematizentur; quibus verbis datur intelligi, qualiter hujus mali auctores damnandi sint: quando participes consilii, & conniventes tanto anathemate feriuntur, ut juxta Canonicam auctoritatem ad conjugia legitima raptas sibi jure vindicare nullatenus possint, c. si autem, ead. *ibi: si autem necdum eas, quas rapuerant, cum voluntate parentum sub desponsationis, vel dotalitii nomine in Conjugium duxerunt, quando in omnium aures hæc fuerit constitutio promulgata, ab eorum conjunctione separentur, & publicæ pœnitentiæ subigantur, raptæ autem parentibus legaliter restituantur.* Peractâ verò pœnitentiâ publicâ, si ætas incontinentiæ exegerit, legitimo & utriusque partis placito conjugio socientur. Nam in his regulam non constituimus, sed (ut verbis magni Leonis utamur) quid sit tolerabilius, æstimamus. Quod, si unus ex conjugatis obierit, & is, qui pœnitentiâ publicam egerit, superstes extiterit, iterare conjugium non præsumat, nisi Episcopus aliquam forte præviderit concedere indulgentiam, ut graviolem possit amovere offensam. Quod etiam constat ex jure civili, ubi Jovianus Imperator (ut refertur c. *si quis 3. ead. c. & q.*) sic loquitur: *si quis non dicam rapere, sed attentare tantummodo matrimonii jungendâ causâ sacratissimas Virgines ausus fuerit, capitali pœnâ feriatur.**

Non tamen invalidum; quia nullus textus ejusmodi matrimoniû irritans in jure antiquo reperitur; imò ut notavim<sup>9</sup> ex c. *autem*, de quo supra, post pœnitentiâ raptori, vel raptæ licitè conjugia conceduntur; & quamvis in c. *placuit, cit. 26. q. 2.* dicatur *placuit, ut hi, qui rapiunt feminas, vel surantur, aut seducunt, eas nullatenus habeant uxores;* quamvis eis postmodum conveniatur;

R 2

aug

aut eas dotaverint, vel nuptialiter cum consensu parentum suorum acceperint. Ea tamen verba accipienda sunt; ut idem sit, ac nullatenus habeant, tanquam *legitimas*, juxta dicta n. 139. & tanquam Uxores juxta n. 141. Unde D. Ambrosius in *Apologia David*, c. 8. relatus in c. *Denique ead. c. & q. denique*, inquit, *Spuella pater illius, que vim concubitus nulli desponsata pertulerit, quinquaginta drachmas argenteas accipiet: ipsa autem in conjugio permanebit.*

509. Sed jure novo secus dicendum est. Nam de matrimonio inter Raptorem & Raptam sic statuit Tridentinum *Seff. 24. de Reform. matr. c. 6. decernit sancta synodus, inter raptorem, & raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. Quod si rapta à raptore separata, & in loco tuto, & libero constituta, illum in Virum habere consenserit, eam raptor in Uxorem habeat; & nihilominus raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium, & favorem præbentes, sint ipso jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces; & si Clerici fuerint, de proprio gradu decendant. Teneatur prætere raptor, mulierem raptam, sive eam Uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio judicis dotare.* Ex quo sequitur, raptum in quem cadunt qualitates in hoc decreto contentæ, esse novum impedimentum dirimens matrimonium contrahendum inter raptorem, & raptam, ut sua nimirum libertas debita stet matrimonio propter infelices cæteroquin exitus in matrimoniis coactis: Sic Pyrrhus Corradus *cit. l. 7. c. 1. n. 2.* licet olim, ut dictum est, non obstaret, quò minus raptor & rapta validè contraherent etiam in casu, quo rapta in raptoris potestate manebat, si hoc non obstante liberè consensit, ut constat ex c. *Tria, cum seq. 36. q. 2. c. cum causam. 6. & c. Accedens. 7. de Raptoribus*, quod verum est, licet prius dissenserit, ut ponit ibid: textus; ita Lessius *de Just. l. 4. c. 6. d. 9. n. 68. & c.*

510. Circa præsens decretum Tridentinè plura moventur dubia; primò, an, ut incurratur hoc impedimentum, sufficiat raptus etiam non causà matrimonii, sed libidinis, v. g. præcisè, vel ex alio fine? Pro affirmativa citantur à Barbofa in *citatum locum Trid. n. 2.* Emmanuel Sà in *Apbo-*

*rismis, V. matrimonium, n. 9.* Bonacina, & alii; existimantes, non solum illum esse raptorem, qui abduxit feminam causà contrahendi, sed etiam, qui abduxit tantum causà explendæ libidinis; & consequenter subjacere pœnis constitutis in hoc decreto. Sed negandum est, ac dicendum, non incurri, nisi talis raptus factus sit, causà contrahendi matrimonii; ita Thomas Sanchez. *l. 7. matr. D. 13. n. 4.* Pyrrhus Corradus in *praxi dispens. Apostolic. l. 7. c. 6. n. 49.* & alii communiter; quia Tridentinum hoc impedimento, & reliquis pœnis tantum intendit punire eum, qui per raptum lædit libertatem ad matrimonium; ut sic puniendo impediatur eam læsionem; qui autem feminam rapuit non ad contrahendum matrimonium, non violavit libertatem ad illud, neque ad illud coegit.

Ad hoc autem videtur sufficere, quòd mulier, causà libidinis in principio rapta, deinde à raptore vi detineatur causà matrimonii. Nam ista detentio ex hoc fine, in quantum continet abduktionem, est raptus causà matrimonii. Sic Vincentius de Justis *l. 4. dispensat. matrimon. c. 6.* Quod confirmari potest ex eo, quia literæ dispensationis in impedimentis matrimonii, quæ committuntur Ordinariis, teste de Justis *cit. n. 47.* communiter addunt clausulam: *dummodo mulier rapta non fuerit*, cum additione verborum: *ad hoc*; nimirum *ad finem contrahendi cum ea matrimonii.* Et hæc clausula, ex praxi Curie Rom. si forsitan omissa foret, semper subintelligitur; ita Sanchez. *l. 8. hic D. 25. n. 19.* & Corradus *cit. l. 8. c. 6. n. 54.*

Accedit, quòd juxta *cit. Vincent. de Justis n. 62.* committatur quoque raptus, sub dispositione Concilii contentus, si Vir, Uxorem ex matrimonio solum rato, raperet invitam, ex fine consummandi matrimonium intra primum bimestre; quò mulier licitè recusat consummationem, ut deliberare possit de statu religionis amplectendo. Est enim ademptio libertatis requisitæ, ut firmum, ac insolubile simpliciter evadat matrimonium.

Dubitatur. 2. quid hic intelligatur per *mulieris raptum*, ut inducat impedimentum dirimens matrimonium inter raptorem & raptam? Resp. requiri primò, quòd mulier *vi de loco in alium, moraliter diversum*

versum, abducatur. Quare non sufficit, si ex una camera in aliam abripiatur, ut not. Haunoldus tom. 6. de Jure, & Just. tr. 2. c. 2. n. 541. si autem vis absit, non erit raptus, sed fuga voluntaria mulieris. Sic Navarrus. l. 5. *Consl. de Raptor. n. 1.*

§14. Secundò, quòd mulier invita, & contra suam voluntatem abducatur. Quamvis enim jure civili pro raptu habeatur abductio mulieris etiam volentis, si causa libidinis, vel invitis parentibus fiat L. Raptores. 84. c. de Episc. & Cleric. & L. Unica, Verf. Maximè. & Verf. Oportet et enim. c. de Raptu Virg. imò etiam si fiat conjugii causa, cit. L. unica, §. oportet, ut not. Zoësius de Raptorib. à n. 1. jure tamen Canonico pro raptu (prout hic dirimit matrimonium) non habetur, quando aliqua volens abducitur. Qui enim habet mulieris assensum, raptor dici non potest (intellige) ad præsentem casum c. Penult. de Raptorib. Quod verum est, licet abducatur invitis parentibus. Nam licet aliqui velint, comitti raptum (quem præfata dispositio Tridentini comprehendat) quando puella etiam consentiens sub parentum potestate constituta, ex eorum domo, ipsi nescientibus, vel invitis abducitur, ut vult Zerola in Praxi Episc. p. 2. V. Raptus. §. 1. & alii: probabilius tamen est negativa; quia ignorantia, vel dissensus parentum non obstat libertati matrimonii, cui præcipue in hoc casu consultum voluit Concilium; ita Sanchez. l. 7. hic D. 13. n. 13. Lessius, Reginald. & Conink apud Barbof. in c. 6. de Raptorib. n. 3. Ex hoc sequitur, quòd, cum quis rapit suam propriam Sponsam, non committatur raptus sub dicta dispositione Trid. comprehensus, ut not. Barbof. cit. n. 4. ex Sanchez. cit. n. 15. Rebello, de Obligat. Justit. P. 2. l. 3. q. 12. n. 5. & aliis, nisi tamen Sponsa justam causam haberet à Sponsalibus recedendi, & ab hoc invita raperetur; sic de Justis cit. n. 53.

§15. Tertio, quòd raptus fiat causà matrimonii ineundi, ut jam dictum est; ubi tamen nota, non dici raptum, si mulier consentiens abductioni, invita deinde opprimeretur à Raptore; secus, si vi abducta, volens sub hoc condescenderet in copulam. Nam in his spectatur initium; ac abductio in primo casu, fuit consen-

tientis; in secundo, invitæ. Sic Filiucius tom. 1. tr. 10. p. 2. c. 8. n. 258.

Præter hæc not. Raptum hodierno jure Trid. dirimere matrimonium inter Raptorem, & raptam, licet illa liberè consentiat, dum adhuc est in potestate Raptoris; non autem, si consentiat extra illam constituta in loco tuto, & securo ab ejus vi, & Coactione. Ex quo sequitur esse impedimentum solum temporale, nimirum pro eo solum tempore, quo est sub potestate Raptoris, ut patet ex cit. Verbis Trid. supra; & dicemus infra.

Et ideo dicto decreto Tridentini matrimonium irritatur solum inter raptorem, & raptam, quamdiu rapta sub potestate Raptoris existit, licet jam liberè & volens cum illo sit, imò etiam in matrimonium liberè consentiat; quia per hoc nondum fit, quòd sit extra Raptoris potestatem; quod tamen Tridentinum exigit, ut validè contrahant. ibi: à Raptore separata, & in loco tuto constituta.

Not. 2. per raptum non dirimi matrimonium, nisi inter Raptorem, & raptam. Cum enim hæc dispositio Trident. restringat naturalem horum libertatem, & antiquos Canones; ultra id, quod expressum est, extendi non debet. Hinc Mandatarius, qui alterius mandato mulierem rapit causà matrimonii cum mandante ineundi, non incurrit hoc impedimentum, & (si nulla subsit alia causa) validè init matrimonium cum rapta. Sic Corradus cit. l. 7. c. 6. n. 51.

Not. 3. per raptum mulieris dirimi matrimonium, qualiscunq; sit mulier, sive Virgo sit, sive corrupta, sive honesta, sive meretrix; quia mens Concilii est, punire raptum non qualemcunq; sed raptum femine causà matrimonii, saltem de facto, esto non de jure contrahendi. Hinc decretum, loquens de raptu, generaliter intelligendum est de raptu cujuscunq; mulieris ad effectum matrimonii, saltem de facto contrahendi; sic Vincentius de Justis. l. 2. de dispens. matr. c. 18. n. 40. ex Sanchez. l. 7. hic D. 13. n. 14. Quare non est audiendus Nicolaus Beckmannus in lib. suo, de doctrinâ Juris. V. Raptus, dicens: si meretrix vi fuerit abducta, non dici, raptum committi de Jure Canonico; quia non est persona honesta. Nam jus Canonicum in hoc impedimento non atten-

dit qualitatem personæ, sed libertatem matrimonii, quæ etiam deficere potest, licet persona sit inhonesta.

§20. Not. 4. cùm puella, nolens consentire in matrimonium, fraude inducitur ad aliquem locum (aliàs non itura) ibique vi detinetur causâ extorquendi matrimonium, committi raptum sub dispositione Concilii comprehensum. Nam per *Raptorem* hic intelligitur non is tantum, qui physicè rapit, sed etiam, cujus nomine, petitione, vel mandato raptus fit; ita Pirhing de Raptoribus n. 23. aliunde, ut ponit casus, vis intercedit; Ergo.

§21. Not. 5. probabiliter dici, etiam eo casu talem raptum committi, si mulier robusta, vel autoritate pollens, causâ matrimonii rapiat Virum invitum, v. g. adolescentem timidum. Quia licet hoc decretum, ut dictum est supra, sit odiosum; imò & pœnale, & solum loquens de *Raptore*, non *Raptrice*; adeoque non debeat extendi ultra expressa, ut vult Basiliius Pont. l. 7. c. 69. & alii: hæc tamen locum non habent, quando ratio legis, prout acceptata à legislatore, porrigitur etiam ad non expressum; in dato autem casu ratio legis prout acceptatæ à legislatore, est *libertas matrimonii*, quæ æque patitur, si femina Virum, quam si Vir feminam vi rapiat, causâ matrimonii; eum expressio, quæ in Canone fit de *Raptore*, non respiciat sexum, sed vim, quæ fit rapiendo etiam renitentem ad matrimonium.

§22. Et quamvis Sanchez. l. 7. D. 13. n. 16. sentiat tanquam probabilius, non esse locum decreto Tridentini, ubi femina rapit Virum; nihilominus in eod. n. 16. etiam *probabile dicit oppositum*. Verba illius in cit. n. 16. prope finem hæc sunt: *at retentâ opinionem probabili (quam disp. præced. n. 24. retuli, nempe pœnis decretis in Virum feminæ raptorem, subdi feminam Viri raptricem) dicendum erit idem in decreto Tridentini*: atqui opinionem, quæ docet pœnis decretis in raptorem, etiam subdi raptricem, *Disput. præced. nempe 12. n. 24.* Sanchez vocat *valde probabilem*; ergo juxta eundem dicendum erit idem in decreto Tridentini, nempe illi locum esse, si femina Virum rapiat nolentem, ut secum ineat matrimonium; & absolute af-

firmat Vincentius de Justis de dispensat. matr. l. 2. c. 18. à n. 75. Haunoldus tom. 6. de Jure, & Just. tr. 2. à n. 549. §. mibi.

Not. 6. hoc impedimentum in illis solum locis procedere, in quibus Concilium Trid. receptum est; in aliis verò servari, quod jure antiquo statutum est, c. fin. de Raptorib. de pœnis verò, quas Concilium statuit in Raptores mulierum, causâ matrimonii, tractari solet l. 5. tit. 17. De Sponsalibus autem inter Raptorem, & raptam, dum hæc est in potestate Raptoris idem, quod de matrimonio sentit factis communis; sed rationes, ex quibus affirmant, eorum opinionem non reddunt certam moraliter; minus improbabilem, oppositam, ut diximus à n. 128.

Not. 7. si petitur dispensatio in aliis impedimentis matrimonii, simul debere fieri mentionem *Raptus*, si intervenerit, & ex hoc impedimentum nascens duret; sic Vincent. de Justis cit. l. 2. c. 18. à n. 33. aliàs enim dispensatio subreptitia redditur, cùm ipse raptus præstet impedimentum dirimens. Ulde si delegatus oratricem repererit raptam, non poterit exequi literas dispensationis alterius impedimenti; sed opus est noviter supplicare Pontifici, de quo V. Corradus cit. in prax. dispens. Apostol. l. 7. c. 6. à n. 55.

## ARTICULUS V.

### De matrimonio Reconciato.

Cùm non raro contingat, matrimonium nulliter celebrari, consequenter indigere reconciliatione, seu revalidatione, priorem nullitatem auferendo, nullitas autem illa variis modis contingat, defectu veri consensûs, ut cùm unus, vel ambo fictè contrahunt; vel consensu per metum injustè extorto; vel conditione mentaliter appositâ, nec impletâ; vel occulto impedimento; aut defectu præsentie Parochi, & testium: quæstio est, quomodo ejusmodi matrimonia de facto, non jure contracta, licitè, ac validè reconcilientur? Ut valida evadant, certum est, causam nullitatis auferendam esse; quia tamen circa hoc ipsum variæ dubitationes occurrunt, in sequentibus resolutæ veniunt.

## §. I.

Quomodo matrimonium irritum, ex defectu veri consensûs, reconci- liandum?

226. Prima dubitatio est, an, si consensus, saltem in uno, fuit fictus, seu merè simulatus, renovari debeat consensus ab utroque? an solùm ab eo, cujus consensus antè defecit? Non est dubium, quòd fictè consentiens debeat de novo internum suum consensum præstare; ex hujus enim defectu, ut ponit casus, nata est nullitas matrimonii; sed quæstio est. 1. an consensum internum, quem præstat volens ratificare matrimonium, debeat externè manifestare alteri? 2. an sciens nullitatem ex defectu sui consensûs, teneatur matrimonium, præstato novo consensu interno, ratificare? 3. an sufficiat, quòd solus fictè consentiens verum consensum præstet?

227. Ad. 1. quæst. Resp. affirmative; cum enim consensus debeat acceptari ab altero per simulationem decepto, ad hoc, ut matrimonium evadat validum, ex n. 7. acceptari autem ab eo nequeat, nisi cognitus, consequenter notificatus, necessarium omnino est, consensum internum à simulatore in dato casu, quo matrimonium vult ratificare, verè præstari, & alteri manifestari. Ad hoc autem non exigitur, ut ei priorem fictionem manifestet; sed sufficit, si opportunà occasione illi conjugalem dilectionem suam aperiat, & quærat, an ita reciprocè diligit etiam nunc, prout aliquando in eum ferebatur.

228. Dices: hoc ipso, quòd consensus externus à simulatore præstitus moraliter perseveret, dum etiam ponitur ab eo consensus verus, acceptatio alterius habet, quod acceptet; ergo plus in simulatore non requiritur, quàm ut ponat internè consensum verum; & non retractaverit externum; & hoc tenere videtur Sanchez. l. 2. hic D. 32. n. 11. sed Resp. N. ant. quia acceptatio ferebatur in consensum externum de præsentis præstitum in contractu; ergo id acceptavit, quod tunc fuit datum; sed tunc nihil fuit datum; & in id, quod postea ponitur, non fertur acceptatio; ergo tunc nihil fuit acceptatum; ergo ut habeatur legitima acceptatio, debet de novo fieri consensus externus sine

fictione, nimirum vero animo alteri constituendi jus conjugale; ita Henriquez. l. 11. de matr. c. 12. n. 2.

Ad. 2. quæst. affirmat Basilius Pontius l. 2. de matr. c. 5. n. 5. etiam in casu, quo mulier per

529. talem fictionem nullum omnino damnuna passa esset, quàm defectum veri consensûs in Viro, & (ut ait Gobat in Theol. Experim. tr. 10. n. 411.) contrariam opinionem Patris Sanchez. l. 1. hic D. 11. n. 5. habet pro improbabili. Ratio illius est, quia ex promissione de futuro nascitur obligatio verum efficiendi, quod promittitur; ergo ex promissione præsentis nascitur obligatio, reddendi verum, quod asseritur: cum ergo asserat, *Ego te accipio in meam Uxorem*, tenetur eam verè, & ex animo accipere; quia justitia obligat unicuique reddere jus suum; at conjugii verè consentienti debetur verus consensus, ut sic æqualitas servetur in contractu; ergo quousque, fictè consentiens, verè consentiat, prædictis obligationibus non satisfacit: sed contraria opinio immeritò *improbabilis* reputatur; quamvis enim opposita sententia suadenda sit (ut ejusmodi deceptionibus locus non detur) doctrina tamen Patris Sanchez suà probabilitate non caret, ut rectè observat Castro-pal. D. 3. de sponsal. p. 7. §. 1. n. 2. pro ead. citans complures alios, præsertim, cum rationes in oppositum, nec evidentes sint, nec certæ ad suorum Authorum intentum. Nam prima ratio nihil aliud probat, quàm fictè promittentem, graviter in tali fictione peccare contra veracitatem, imò & justitiam, quæ petit sincerè consentienti æquale præstari in conventionibus onerosis, seclusà causà excusante à fictione, quæ quandoque revera potest adesse, ut notat Sanchez. *diff. l. 1. d. 11. n. 2.* sed hoc peccatum, seclusis aliis damnis, nullam post se relinquit obligationem justitiæ, ad satisfaciendum alteri per verum contractum; quia per illud nec retinetur neque acceptatur alienum, quæ sunt radices restitutionis. Mulier autem decepta æque libera manet, ac deceptor; contractus, utpote nullus, nullum in ea jus ad verè contrahendum reliquit. Deinde sententia Patris Sanchez probatur. 1. quia fictè profitens non tenetur secluso scandalo verè profiteri. 2. alteri nullam irrogat injuriam fictè profitens, cum tali casu neuter

neuter maneat obligatus. Nam licet ponas, alteri esse jus, ut sibi sincerè promittenti onerosè, vicissim sincerè promittatur, si hujus defectu patiatur damnum famæ, bonorum &c. secus tamen est, ubi nihil horum sequitur; sic Hostiensis in c. *Ex parte, de sponsalib. D. Antonin. p. 3. tr. 1. c. 1.* & alii cum Sanchez. *cit. n. 5.* Si autem damnum aliquod mulieri per fictionem deceptæ natum esset, dubitandum non est, deceptorem, qui fraude suâ, seu circumventionem damnum dedit, in conscientia teneri ad illud reparandum. Sed sub lite est, an obligetur compensare, determinatè cum illa verè contrahendo? an satisfaciatur alio medio sufficienti compensando. Non teneri determinatè ad compensationem primo modo, sed satisfacere alterutro, jam in superioribus à nobis dictum est.

§ 30. Ad 3. quæst. censet Sanchez. *l. 2. hic D. 32. d. n. 9.* & alii, non requiri, quòd, quando fictè consentiens verum consensum præstat, alter etiam conjunx de novo consentiat; sed sufficere, quòd prior consensus, quem sincerè præstitit, moraliter adhuc perseveret; cum sufficiat, quòd utriusque consensus moraliter coexistat, ut dictum est: contrarium tamen exigit Lessius *l. 2. de Just. c. 41. d. 7. n. 16* quia negatur, priorem consentientis sincerè voluntatem adhuc moraliter perseverare; cum fuerit, vel expressè vel tacitè conditionata, si & alter verè sincereque consentit; quæ conditio ponitur non impleta. 2. quia ex parte sincerè consentientis nulla fuit acceptatio vera, cum ex parte decipientis nulla fuerit traditio vera. Accedit, quòd nec alter Conjunx deceptor dederit potestatem sui corporis, nisi sub conditione veri consensûs reciproce præstiti. V. n. 534.

§ 31. Confirmari hoc potest ex eo, quia quando uterque fictè consensit, per P. Sanchez. *loc. cit. n. 11.* debet ab utroque præstari novus consensus, quia utriusque consensus fuit omnino nullus, consequenter matrimonium perinde est, ac si matrimonium penitus non esset contractum, sicut quando consensus cadit supra materiam illegitimam; sed etiam quando unus fictè consensit, penitus non est contractum, matrimonium (nam matrimonium intrinsecè constat mutuo duorum consensu

vero) & acceptatio cadit supra materiam illegitimam, nempe fictam alterius promissionem, quâ nihil verè traditur; Ergo.

Si quæras: an in casu, quo fictè consentiens ad matrimonium reconciliandum præstat verum consensum, requiratur in utroque de novo mutuo consensus? Resp. etsi Sanchez. censet, sufficere consensum ejus, qui prius defecit, consensum alterius adhuc moraliter perseverante: dicendum tamen, requiri novum consensum utriusque; cujus ratio est, quia contraria sententia volens sufficere innocentis consensum habitualiter perseverantem, probat, nec in eo, qui externè, sed fictè consensit, requiri novum consensum externum, sed sufficere priorem consensum habitualiter perseverantem, modò solum internè consensum verum præster deceptor; at hoc dici non potest ex n. 530. ergo. Accedit, quòd non raro conjuges contractura à se factum *cum tali*, millies optent nunquam factum, & si fieri posset, nolint factum; quo casu matrimonii re ipsâ irriti conditione subsistente consensus verè revocatur, esto cohabitent ex errore putantes, mutari non posse, quod in hoc casu fallit.

Nec obstat, in casu professionis invalidæ ob fictionem consensûs in profitente, convalescere professionem, solâ fictione remotâ per verum consensum, licet in Religione, cujus acceptatio ad valorem professionis exigitur, consensus acceptationis non renovetur; imò licet Religio nullitatem ignoret, ut colligitur ex c. *significantem 11. de Regul. & c. 1. §. quòd f. eod. in 6.* ubi ex gestatione habitûs, vel non reclamatione contra professionem intra certos annos (ut habetur in Trid. *Seff. 25. de Regular. c. 19.*) professio ratificatio præsumitur, quin Religio novum consensum præstet.

Non, inquam, obstat; nam in hoc casu, ubi professio deficit propter defectum consensus ex parte profitentis, ideo non requiritur in Religione nova acceptatio, cum professus verum consensum præstat, quia consensum, seu acceptationem Religionis supplere potest, & supplet Ecclesia, seu Pontifex, qui est superior omnium Religionum; ad consensum conjugalem nemo alius, nisi contrahentes præsta-

præstare possunt, vel supplere. Si autem sermo sit de professione invalida non ex defectu consensûs in proficiente, nec in religione novus consensus necessarius erit impedimento recedente; cum enim utrinque præstitus fuerit in principio verus consensus, licet adhuc inefficax ad producendum effectum vinculi, quo tenentur verè professi, & inefficacia solùm nascatur ex defectu ætatis v. g. sublato præcisè hoc defectu, manentibus cæteris, consensus prior non retractatus evadit efficax, ut dicemus infra.

334. Quare not. nos non dicere, consensum præteritum, licet non retractatum, nunquam insufficientem; v. g. quòd non sufficiat existentia solùm habitualis. Nam consensum semel verè datum, & non retractatum, licet illi ex intervallo accedat alterius consensus reciprocus; & acceptatio (modò non sit nimum intervallum temporis, quo posito amba voluntates non possunt coalescere in verum contractum) sufficere concedimus, ut etiam ostendi potest in aliis exemplis; c. *fin. de Procurat. in 6.* Nam consensus à Procureto specialiter constituto ad contrahendum matrimonium, nomine constituentis præstitus, etiam alterà parte consentiente, sufficit ad matrimonium, esto constitutio, seu consensus constituentis tunc non ex stat in re, & formaliter, seu actu, sed physicè præterierit, modò interim non sit revocatus; & c. *Cum inter. 21. de elect.* ubi; in electio facta dicitur, licet consensus electi primùm ex intervallo accedat, electione solùm habitualiter perseverante, non obstante, quòd per mutuum consensum eligentium, & electi, quasi conjugale vinculum specialiter sit contractum, ut ait textus.

335. Vera igitur ratio, propter quam requirimus in hoc casu novum consensum ex parte illius, qui consensit *solum ore*, non corde, est, quia *sola verba sine animo se obligandi, in re nullam pariunt obligationem in vim contractus* ex n. 87. & reliq. consequenter nihil verè, ac in re tradunt; sine vera autem traditione, quæ fiat corde, & ore, non stat matrimonium verum, ex dictis supr. ergo, ut fiat matrimonium, ex parte illius, qui causam dedit huic nullitati, necessarius est consensus verus cordis. Et quoniam ubi nihil verè, ac in re  
Tom. IV.

traditur, in re etiam nihil acceptari potest, acceptatio primi consensûs ficti nulla fuit; præsertim cum conditionata esse soleat, *severè promittas*, conditione eo casu non subsistente; cum autem sine acceptance promissionis veræ non stet matrimonium, & hæc antecedenter facta non sit, & fieri non possit, nisi acceptanti nota sit modo humano, nimirum signo externo; ideo, & in hoc novam acceptationem, & in illo consensum, etiam oris, ad validè renovandum matrimonium requirimus.

## §. 2.

*An revalidatio matrimonii, nulliter contracti, fieri debeat coram Parocho, & testibus?*

Potissima quæstio est in casu, quo matrimonium nulliter celebratum est, propter *latens* aliquod impedimentum dirimens, & ea validitio fieri debeat novo utriusque putativi Conjugis consensu, ut dictum est n. 81. vel, ubi nullus fuit defectus ex parte consensus, sed solùm inhabilitas juris positivi ex parte subjecti, novus animi consensus præstari debeat coram Parocho, & testibus, non obstante, quòd prius coram iisdem matrimonium jam celebraverint? Paulus Comitulus *l. 1. Respons. moral. q. 120.* & Basil. Pont. *l. 5. hic, cap. 6.* universaliter affirmant, quotiescunq; matrimonium, ante nullum, venovandum est; Navarrus autem *lib. 4. Consil. de sponsal. Consil. 11.* & alii, solùm pro casu, quo matrimonium nullum fuit ex impedimento utrumque conjugem afficiente. Pro cujus sententiæ firmamento aliqui adducunt responsum Clementis VIII. qui super hoc quæsitus, fertur respondisse, *etiam decepti consensum novum requiri coram Parocho, & testibus*, pro casu, quo deceptor præstito vero consensu restaurare cupit matrimonium, ex defectu veri consensûs in ipso, prius nullum, ut refert Paulus Comitulus cit.

336. Verùm Resp. generaliter nullum matrimonium ex aliquo impedimento occulto irritum, coram Parocho, & testibus celebratum, indigere præsentia Parochi, & testium ad sui revalidationem; sic Barbosa. *P. 2. de potest. Episcop. allegat. 32. num. 157.* Sanch. *lib. 2. hic D. 32. à n. 13.* & alii

alii graves authores cum Castropal. cit. §. 3. n. 2. dicente, hanc doct. inam esse satis probabilem, & in conscientia tutam, atque securam V. dicta n. 482. Quia hoc non exigit decretum Tridentini, cujus intentio exigens præsentiam Parochi, & testium in contractu matrimonii salva stat, licet in revalidatione non adhibeatur. Aliud enim non intendit, quam *invalidare matrimonia inter duos contracta, de quorum expresso consensu Ecclesie per testes legitimos constare non poterat*; unde fiebat, quod sæpe veri conjuges ab invicem recederent, & alias adulterinas nuptias celebrarent, Ecclesiâ (utpote de prius contracto matrimonio ignarâ) non valente correctionem adhibere; at in dato casu id non contingit. Et ita expressè etiam tenet Pyrrhus Corradus l. 7. dispens. Apostol. c. 7. §. *matrim. inter se*, dicens: quando aliàs servata est forma Trid. sufficere consensum secretò prælati ad matrimonii revalidationem.

538. Ad Author. Clement. VIII. respondet Gobat, in *Theol. experiment. tr. 10. n. 419.* illum non respondisse ex Cathedra, sed ut doctorem privatum; nec responsum ejus esse legitime publicatum; imò Pium V. teste Navarro, Sanchi. Coninch. Hurtado, & aliis apud Castropal. cit. n. 2. contrarium declarasse, & sacram poenitentiarum frequenter istâ declaratione uti. Nec obstat Farinacius *decis. 265.* dicens, idem à Rota decisum esse, in favorem sententiæ requirentis præsentiam Parochi, & testium, in revalidatione matrimonii. Nam in eo casu impedimentum non erat latens, seu occultum, sed probabile; & sic matrimonium nec apparenter validum. Accedit, quòd licet illa decisio foret authentica, & de impedimento penitus occulto loqueretur, plus non haberet, quàm rationem sententiæ gravis authoris; nec illam nos sequi cogeret, quia vim legis non habet, cum ei deficiat publicatio: sic Castropalaus cit. num. 5.

539. Dices: quando dispensatur in impedimento occulto, ad revalidandum matrimonium, apponi solet hæc clausula: si ita est, cum eis, ut inter se, & servatâ formâ Tridentini contrahant, dispenses; ergo etiam in revalidatione matrimonii requiritur observatio formæ à Tridentin.

præscriptæ. Resp. servandam omninè esse, si prius servata non fuit, cujus contrarium supponit casus propositus. Cæterùm in illis dispensationibus, ea clausula non apponitur, ut *forma, & conditio*, sed solum *ut admonitio*, ut observetur, quod de jure servandum est, ut notat Pyrrhus Corradus l. 7. *dispens. Apostol. c. 7. n. 17.*

Quæstio est, an saltem in ipsis contrahentibus, post sublatum impedimentum requiratur novus consensus, esto is non amplius præstetur coram Parocho & testibus, si eum jam prius, licet nulliter propter latens impedimentum coram illis præstiterunt? Resp. si consensus mutus cordis, & oris, jam præcessit in facie Ecclesie, & solum extrinsecè impeditus, quominus præstiterit verum matrimonium, nec interim revocatus est, sed moraliter perseverat, etiam sublato impedimento, valde probabile videri, nec in ipsis matrimonium revalidantibus requiri novum consensum. Si enim duo nulliter contraxissent ex defectu ætatis, & hoc defectu sublato habitualiter perseverarent in priori affectu; matrimonium evaderet validum sine omni alio. Sic si pubes cum impubere contraxit, licet nulliter ob defectum ætatis occultum, ætate adveniente matrimonium valet; modò impubes, factus pubes, consensum non retractet, & pubes etiam in priori voluntate perseveret.

Dices: prior consensus fuit invalidus; consensus invalidus non facit matrimonium; ergo prior consensus non facit matrimonium: facile responderetur distinctione: fuit invalidus privativè, & solum extrinsecè, ex mera absentia ætatis; C. invalidus positivè, seu intrinsecè, ex quadam contrarietate cum matrimonio; Nam, ex consensu autem invalido merè privativè, & solum extrinsecè bene potest nasci matrimonium, si tollatur illud extrinsecum, nimirum defectus ætatis, ut diximus num. priori; ergo. Aliud est, si foret positivè, seu intrinsecè invalidus seu ineptus; tunc enim nec sublato impedimento sufficeret ad matrimonium validum.

Res explicari potest exemplo Theologico ex communi argumento, quod ab illis, qui negant, lumen gloriæ suppleri posse per consensum DEI solum extrinsecum.

cum, quod sic proponitur: intellectus creatus ex se est improporcionatus ad videndum DEUM, sicut est in se; ergo, ut videat DEUM, sicut est in se, debet per aliquid sibi superadditum reddi proporcionatus in se; ergo nequit per aliquid merè extrinsecum. Nam ad hoc communiter respondetur, intellectum esse intrinsecè improporcionatum, ut *suis tantum viribus* videat DEUM, sicut est in se; & hanc intrinsecam improporcionem tolli non posse per ullum superadditum sive extrinsecum, sive intrinsecum; non autem esse intrinsecè, sed solum extrinsecè improporcionatum, ut *suis, & alienis viribus videat DEUM*, sicut est in se; & sic omnino debere proporcionatum reddi per aliquid superadditum, nimirum ut tollatur defectus alienarum virium, ut *præter suas, habeat etiam alienas vires*; hoc autem fieri potest auxilio alieno sive intrinsecò seu inhærente, sive extrinsecò.

Similiter se habet consensus mutuus, cæteròquin habens omnia, quæ pertinent ad verum consensum cordis & oris; sed quia deest habilitas subjecti, propter annexum illi impedimentum, non potest formaliter præstare matrimonium, quæ insufficientia potest provenire vel ex defectu intrinsecò ipsi consensui, vel solum extrinsecò. Hinc nullius accessione fieri potest sufficiens, cum laborat intrinsecè insufficientiâ, & ineptitudine, sicut dicitur de intellectu; benè tamen, si insufficientia solum sit extrinsecà. Ex hoc ergo colligitur, quando consensus mutuus ex se, & intrinsecè, seu jure naturali, non est ineptus ad valorem matrimonii, sed solum extrinsecè ex defectu alterius, quo præsentè præstaret matrimonium, non requiri sublato impedimento, sed defectu illo extrinsecò, novum consensum, sed sufficere priorem coram Parocho, & testibus præstitum, habitualiter perseverantem; quia tunc nihil deest ad contractum omnino validum.

543. Casus esse potest, si matrimonium nulliter contractum est propter consanguinitatem, affinitatem, justitiam publicam &c. hæc enim faciunt consensum mutuum, cæteròquin nullo defectu juris naturalis laborantem, solum extrinsecè insufficientem, & sufficiens reddi potest, præcisè sublato eo impedimento: secus

Tom. IV.

est, si sit insufficientis intrinsecè v. g. conceptus ex errore, vi præcisâ, metu, vel sub conditione contra substantiam. In his enim casibus, nec sublato tali obice definit esse intrinsecè insufficientis. Unde in his requiri novum consensum sublato impedimento, omnino concedo.

Si dicas; ergo etiam in casu, quo unus fictè consentit consensu externo, nimirum sine interno, sufficet revalidationi, si simulator internè consentiat, consensu externo habitualiter perseverante; sed huius contrarium dictum est supr. ergo; illatum probatur; quia si adfuisset consensus internus, matrimonium tenuisset; ergo quod non tenuerit tunc consensus externus, solum est ex defectu consensus interni; sed sic insufficientia consensus externi est ex defectu solum extrinsecò; quia immutato consensu externo, positione solius interni, tolli potest; ergo. Resp. N. illatum: ad probat: dato anteced. dist. conseq. ergo quod non tenuerit tunc, solum est ex defectu consensus interni, sine quo nullum esse potest pactum C. sine quo adhuc habetur pactum contrahentium, N. cons. ubi adest purus duorum consensus, habetur pactum; ubi autem tantum unius, non habetur pactum: at ubi habetur pactum, non est defectus in contractu, qui surgit ex mutuo consensu carente vicio afficiente consensum internum; secus, ubi non est; ergo ex casu, ubi contractus est nullus non defectu consensus mutui; sed defectu consensus in uno, ab illo ad hoc non rectè arguitur.

Igitur matrimonium externè contractum, sed nullum ex defectu interni consensus saltem in uno, cum matrimonio externè contracto, non tamen nullo ex defectu consensus interni in ullo contrahentium, sed solum propter latens impedimentum non naturâ, sed dispositione juris dirimens, in hoc conventio, quod utrobique ad sit pactum, seu contractus externus; sed in hoc disconventio, quod hoc non careat constitutivis formalibus pacti, seu contractus inesse pacti, & contractus, nimirum cordis, & oris; secus illud, & ideo in illo non deficiat conventio, & traditio mutua, quæ est de substantia, & jure naturali huius contractus; secus in isto: ex hoc enim fit, quod in casu matrimonii ficti debeat contractus

S 2

tractus

tractus de novo celebrari, cum nondum corde & ore posita sit vera datio, & acceptio; secus in casu matrimonii corde & ore celebrati; nam hic non deficit datio, & acceptio.

## §. 3.

*Qualiter matrimonium irritum propter latens impedimentum reconciliandum?*

546. Quæstio est, an ad matrimonii revalidationem in hoc casu sufficiat impedimentum esse legitime ablatum, quin de novo præstetur consensus? an in utroque novus consensus requiratur? Henriquez. *l. 11. de matr. c. 3. n. 6.* & alii docent, sufficere, quod sublato impedimento unus conjugum in dato casu ab altero petat, ut se in conjugem recipiat, ipseque annuat, & cum eo affectu ad alterum accedat, licet ignarum hujus nullitatis, nec comperta veritate consensurum; quia sic consensus præstatur ab utroque, dum sunt habiles. Alii verò dicunt, hoc non sufficere, sed requiri, quod uterque conjunx, aliquo modo certior factus de nullitate sui matrimonii, de novo consentiat, nisi gravia inconvenientia timeantur, si conjugum de nullitate matrimonii suspicio oriretur, prout frequenter timeri potest. P. Sanchez. *D. 36. n. 3.* Pontius *l. 8. tr. 4. c. 7. §. 2. d. n. 3.* Castropalaus *tract. 28. D. 2. p. 7. §. 2. n. 3.* & alii, licet concedant, non requiri, quod ei fiat notitia de causa nullitatis: requirunt tamen, quod alteri fiat notitia nullitatis: sed neutrum requiri, sive nullitas proveniat ex defectu consensus in uno, sive propter impedimentum uni, vel utrique contrahentium ignoratum, tenent Innocent. *in c. 1. de eo, qui duxit. n. 1.* Sorus *in 4. dist. 28. q. 1. a. 2. & dist. 29. q. 2. a. 1.* Rodrig. *in Summa tom. 1. c. 220. n. 2.* Henriquez. *l. 11. de matrimon. c. 3. n. 6.*

547. In hac controversia dicendum. 1. requiri novum consensum, in utroque sublato impedimento, si prius præstitus non est in facie Ecclesie, ubi id requiritur. Prior enim consensus mutus & acceptio mutua nulla fuit, non tam propter personarum contrahentium inhabilitatem; & defectum tacite conditionis in quovis contractu imbitur; quam ob de-

fectum formæ à Trident. præscriptæ. An autem idem dicendum sit in casu hujus formæ servatæ? diximus *n. 537.*

Dicendum. 2. ad novum illum consensum non requiri notitiam vel suspicionem absolutam de nullitate sui matrimonii. 1. quia consensus sub conditione revalidandi matrimonium, si prius ex aliquo capite nullum fuisset, non exigit notitiam, vel suspicionem absolutam de nullitate matrimonii; sed ille consensus sufficit ad revalidandum matrimonium sublato impedimento, prius nullum ex ejus præsentia, aliàs enim nec valeret, licet gravia inconvenientia timerentur. Nam horum justus metus non potest supplere consensum substantialiter requisitum in matrimonio; ergo. Igitur si sciens impedimentum, disponat ignorantem, ut sublato impedimento verè noviter consentiat in ipsum, sub conditione, si prius ex aliquo titulo nullum fuisset matrimonium, & simul etiam ipse consentiat, validum evadet matrimonium, non ex solo consensu (qui fiat solo facto & solum præsumptus est) sed verè dato, ab ignorante nullitatem matrimonii. Nec dici potest, eum, qui de sui matrimonii nullitate nullum dubium vel suspicionem habet, non posse in illud consentire animo, illud validum efficiendi, quia credit jam esse validum. Nam cum hac fide, quæ credit, esse validum, stare potest intentio, si ex latente causa fuisset invalidum, reddendi validum, quantum per se stat.

Dices: quando matrimonium ratificatur propter defectum consensus ex parte mulieris, necessarius est consensus ex parte utriusque, admonito Marito de matrimonii (quam ignorat) nullitate: sic enim respondit Clemens VIII. ut refert Pontius *l. 4. hic c. 24. n. 4.* & alii; & idem servat Pœnitentiaria in forma concedi solita pro revalidando matrimonio nullo, ex impedimento occulto, ibi: *mulierem de prioris consensus nullitate certioratà, ut videri potest apud Gobat in Quinario. tr. 5. c. 37. n. 141.* Resp. vel per hæc testimonia volunt evincere, quod consensus, matrimonio necessarius, præstari ex natura rei non possit, sine notitia de nullitate prioris contractus? vel solum, quod dispensationis facultas non aliter concedatur; & quodammodo sub conditione sine qua

qua non? vel demum, solum ad majorem tranquillitatem eorum, qui prius nulliter contraxerunt, si forsan ex intervallo coningeret conjugii, qui ponitur nullitatem ignorare, notitia illius fieret? ex duobus primis nullum dici potest, ut mox patebit; ultimum autem bene fieret, si commodè posset, citra alia, quæ sequi possent, mala, si alteri, qui fuit in bona fide de integritate sui matrimonii, nullitas aperiretur; nec aliud in dictis testimoniis intendi videtur in iisdem insinuatam, ut patet in formula Pœnitentiariæ cit. ut, si visum fuerit, cum latore, muliere de nullitate prioris consensu certioratâ, misericorditer dispensetur: ubi notandum, si visum fuerit, qui termini nec præceptum denotant, nec conditionem sine qua non? ergo ex his non sequitur, consensum matrimonio necessarium non posse præstari ex natura rei, sine notitia de nullitate prioris matrimonii; sed nec dici potest, quod facultas dispensandi non aliter concedatur; quia solum dicitur, ut muliere prius certioratâ de nullitate dispensetur, si visum fuerit, nimirum expediens, ut ei prius hæc notitia fiat; ergo non ponitur tanquam conditio, sine qua non; imò, si sine periculo aliorum malorum ex notitia nullitatis prudenter metuendorum fieri non possit, omnino omiti potest.

150. Dices, 2. consensus, renovando matrimonio necessarius debet procedere ex intentione contrahendi matrimonium; sed consensus ignorantis nullitatem matrimonii, hæc intentione non procedit. 1. quia, cum sibi persuadeat, matrimonium suum prius contractum, esse validum, simul sibi persuadet, non amplius se posse facere matrimonium, sed tantum prius contractum habere ratum; at hæc rati habitio nullum potest habere effectum, quia cum prius matrimonium nullum sit, ratum haberi non potest. Resp. N. min. Ex hoc enim, quod ignorans nullitatem matrimonii prius contracti, persuadeat sibi, contractum illum fuisse legitime factum, non sequitur, quod non possit consentire in jus sui corporis alteri constituendum sub conditione, si forsan in priori contractu defectus aliquis intervenisset, quia defectus ille, ut ponit casus, jam non extat, ut diximus.

P. Joannes de Cardenas in Crisi Theol. § 51. ad propositiones ab Innocent. XI. damnatas, dissert. 2. c. 8. a. 13. q. 3. ad. I. propos. ponit hanc quaestionem: an opinio asserens, matrimonium invalidum posse revahdari, etiam si alter conjunx sit inscius nullitatis, subjaceat damnationi contra primam propositionem ex damnatis ab Innocent. XI. quæ sic habet: Non est illicitum, in Sacramento conferendis, sequi opinionem probabiliorē de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententiâ probabili, tantum utendum non est in collatione baptismi, ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis: ad eandem quaestionem respondet: eam omnino subjacere huic damnationi quoad praxim, si loquatur extra casum extremae necessitatis.

Ratio ipsius est; quia licet matrimonium celebratum juxta opinionem probabilem, ex omni parte sit indissolubile, & certò validum; id tamen locum habet tantum, quando opinio est communiter recepta, tanquam probabilis; non verò, quando est tenuis, aut dubie probabilitatis; atqui opinio asserens non requirit notitiam nullitatis est opinio tenuis, aut dubie probabilitatis; ergo matrimonium, celebratum juxta illam, non est certò validum. Minorem probat. 1. ex P. Sanchez. l. 2. hic D. 26. n. 7. dicente: illam opinionem, de qua controvertitur, esse parum probabilem, & habere contra se rationes urgentissimas. 2. quia notitia nullitatis, faciendâ impedimentum ignoranti, exigitur à Sacra Pœnitentiaria, dum facultatem dispensandi concedit, cum reliquis, quæ attulimus à n. 549. ergo.

Sed Resp. probabilius esse, dictam doctrinam nullo modo subjacere damnationi quoad praxim, etiam extra casum necessitatis, saltem vi probationum, quibus utitur Cardenas. Nam omnes valde probabilem habent solutionem; & cum inducant extensionem decreti indefinite loquentis, ad casum, quem non nisi modificate eus Patroni, ac defensores tenent, non rectè concludunt. Accedit, quod juxta principia hujus Authoris, ut aliqua propositio, ex vi alterius damnata, censeatur damnata, debeat illa illatione certâ & evidenti inferre damnatam, aut inferri ex illa; at, an hoc præstet ratio

Authoris? mihi sanè non videtur, si præmissæ considerentur. Igitur ad argumentum in n. priori Resp. trans. major; N. min. Prima hujus probatio, ex P. Sanchez desumpta, intentum non probat; præterquam, quòd Sanchez in eoloco l. 2. de *matrim. D. 26. n. 7.* de hoc nihil omnino habeat; & aliud sit, esse *parum*, ac esse *tenuiter* probabilem absolute. Ad alteram autem probationem jam responsum est supr.

§ 53. Dixi, *transcat major*; quia ex capitibus multis negari potest; sed iis prætermisissis, Resp. eodem modo sequi, damnationi subjacere dictum Patris de Cardenas, si valet ejus argumentum, quod contra alios facit in casu proposito. Nam si ster propositio damnata, ut jacet, *nec usus opinionis probabilis de valore Sacramenti, licet sit communiter recepta tanquam probabilis*, licebit, quod tamen negat Cardenas. Ratio enim, ex qua negat hanc propositionem suam, stante illà prohibita est; quia propositio illa prima solùm damnatur *sic indefinite*, prout jacet, *prolata*; non autem; *modificata* ad casum *urgentis necessitatis*, vel quando usus opinionis probabilis est *opinionis communiter receptæ*, ut *probabilis*: at etiam doctrina, quæ docet revalidari matrimonium præstito consensu, sine noticia prioris nullitatis, talis est, ut sequatur ex illa propositione, non sic indefinite prolata, sed modificata; Ergo.

Min. prob. nam hæc propositio: *non est illicitum in conferendo Sacramento penitentiae, vel matrimonii, sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, quando probabilitas versatur circa id, cujus defectus suppleri potest ab Ecclesia*, non est eadem cum illa, quæ damnata est; cum damnata loquatur *indefinite*; ista autem valde *restrictè*. Secundo hæc propositio (non obstante illà damnatione primæ propositionis) etiam extra casum necessitatis, *uti licet opinione probabili de valore Sacramenti, quando obligatio procurandi majorem certitudinem, esset plurimis scrupulis, vel gravi difficultati in suscipiendo, vel conferendo Sacramento obnoxia*, non est eadem cum damnata, cum hæc sit plurimum modificata; at ex istis tantum, non autem ex ea damnata, sequitur doctrina *dicens in nostro casu, non requiri noti-*

*tiam de nullitate matrimonii*, quod prius contractum erat; ergo. Quod autem non obstante damnatione primæ propositionis, de qua n. 551, hæc duæ, sic modificatæ; non subjaceant eidem damnationi, admittere cogitur ipse Cardenas in plurimis casibus, de quibus *loco cit. præsertim a. 13. q. 1. à. n. 636. & seq. & novissimè docuit P. Illung. in Theol. præf. tr. 1. D. 1. a. 7. §. 1. n. 77.*

Dixi etiam, *nego min.* in n. 552. & 554 quidem quoad illud, quòd sententia contraria (quæ docet ad validè ratificandum matrimonium, nulliter contractum defectu consensûs, non requiri in altero, *absolutam notitiam de nullitate matrimonii*) sit *tenuis probabilitatis*, cum non destituatur suis gravibus fundamentis, ut constat ex n. 548. & rationes contrariæ nullo modo sint, ut dicitur *urgentissime*; ergo immeritò dicitur, *tenuis* probabilitatis. Cujus ulterior ratio est; nam juxta ipsum Patrem de Cardenas *cit. dissert. 4. c. 3. n. 16.* Hi duo termini, *tenuis probabilitas*, si *tenuis* accipiatur propriè, important contradictionem, aut contrarietatem inter se. Nam *vera probabilitas* importat *fundamentum grave*, impellens intellectum ad assensum; *tenuitas* quoad *probabilitatem*, importat *tenuitatem*, & *levitatem fundamenti*, adeoq; petit *fundamentum non grave*. Hinc de quo dicitur, quòd sit *tenuis prudentiæ*, vel *scientiæ*, vel *tenuiter* circumspectus, manifestè notatur *defectus prudentiæ* &c. ergo *tenuis* probabilitas notat defectum gravitatis in motivo talis opinionis; talem autem defectum nullum habet ea doctrina, ne quidem ex mente Patris Sanchez. in n. 551. Ergo.

Nec video, quomodo stantibus pro illa rationibus, quibus eam defendunt sui Authores, negari possit, esse saltem *probabiliter probabilis*. At sic eam immeritò Cardenas vocat *tenuiter* probabilem. Nam ex hoc, quòd aliqua opinio sit solùm *probabiliter probabilis*, non sequitur, quòd hoc ipso sit solùm *tenuiter* probabilis. Sic ipse Cardenas *cit. dissert. 4. c. 2. à. n. 10.* contra Raymundum Lumbier *tom. 3. Summe à. n. 1737.* & Emanuel; de Filguera *in Lucerna decretali ad exposit. 3. proposit. ab Innocent. XI. damnate*, citatos *ibid. n. 10. & 14.* Opinio enim probabiliter probabi-

his in utroque termino explicat gravitatem absolutam in motivo; non autem tenuiter probabilis, ut dictum est n. priori. Et ideo falsum est, quod opinio probabiliter probabilis, & opinio tenuiter probabilis, idem sint.

555. Ad id, quod n. 544 adducitur ex stylo Penitentiariae, etsi satis copiose responsum sit ibid: & seq. illud adhuc addo, dato, quod ex stylo probabiliter, imò probabilius sic exigeretur, ut consequenter ex eius defectu invaliditas matrimonii nasceretur; cum tamen verè probabile sit, non desiderari eam nullitatis in altero notitiam, adhuc tamen non subjacere damnationi, ut vult Cardenas. Ratio est, quia sententia, quæ dicit non esse illicitum, in Sacramento matrimonii uti opinione probabilis circa valorem, quando periculum invaliditatis tantum oritur ex conditione per Ecclesiæ ratificationem supplebili, non subjacet damnationi, ex n. 553. sed opinio docens in dato casu, non requiri in altero notitiam nullitatis solum docet, quod non sit illicitum in revalidatione matrimonii; omittere notitiam alteri faciendam de nullitate matrimonii prius contracti; cum periculum invaliditatis (si quod est omittit eam notitiam) solum oritur ex conditione per Ecclesiæ ratificationem supplebili (nam opposita sententia se potissimum fundat in stylo Penitentiariae) non autem ex natura rei, ut probatum est n. 544. Ergo.

## ARTICULUS VI.

### De matrimonio ex Morganatica contracto.

556. Pereyra in Elucidario n. 1668. ait, legem Morganaticam apud Mediolanenses eandem fuisse, quæ alibi Salica nuncupatur; hæc lege inibantur quandoque matrimonia à Viris illustribus, qui, postquam liberos habuerunt ex nobili conjuge, post mortem ejus non valentes continere, & nolentes existere in peccato, aliam minus nobilem, vel inferioris conditionis duxerunt, ac verè desponsarunt eò pacto, ut Uxor, & liberi, exinde nati, abstineant à bonis reliquis paternis, & aviticis, titulisque, dignitatibus, & insignibus eorum, contenti certâ portione bonorum

ipsis destinata in Sponsalibus, vel donatione propter nuptias, aut Morgengebæ. Hoc enim erat accipere Uxorem ad Morganaticam, ut habetur L. 2. Feud. Tit. 29. de filiis natis ex matrimonio ad Morganaticam contracto, junct. gloss. litera a.

Tenor dictæ constitutionis cit. tit. 29. 557. sic habet: *quidam habens filium ex nobili conjuge, post mortem ejus non valens continere, aliam minus nobilem duxit: qui nolens existere in peccato, eam desponsavit, eà lege, ut nec ipsa, nec filius ejus amplius habeant de bonis patris, quàm dixerit tempore Sponsaliorum: verbi gratia, decem libras, vel quantum voluerit dare, quando eam desponsavit: quod Mediolanenses dicunt accipere Uxorem ad Morganaticam: alibi, lege salicâ: hic filiis ex ea susceptis decessit; isti in proprietatem non succedunt, aliis extantibus: sed nec in feudo, etiam aliis non existentibus, qui licet legitimi sint, tamen in beneficio minimè succedunt. In proprietate verò succedunt patri, prioribus non existentibus; succedunt etiam fratribus sine legitima prole decedentibus secundum usum Mediolanensem.*

Ex hoc textu habetur; ejusmodi liberos ex matrimonio ad Morganaticam contracto natos, in proprietatem non succedere, aliis extantibus; nec, licet essent legitimi, in feudo, vel beneficio: si tamen parens decessit, prioribus non extantibus, succedere ei in proprietate; & fratribus sine legitima prole decedentibus. Talem aliquando legem, & matrimonia fuisse in usu apud Alemanos, ibid. colligitur ex gloss. cit. ubi additur, hæc etiam lege posse spurium legitimari. Matrimonium sic celebratum Politici quandoque nominare solent *Matrimonium conscientie*; quod quidem teste dicitur, si non sit concubitus palliatus, seu in re solutus, & solum vestitus nomine matrimonii, his præmissis.

559. Quæstio est. I. an ejusmodi matrimonia lege Morganaticâ, vel Salicâ, aut etiam Alemanorum, seu Francorum, (ut ait gloss. cit.) inter Christianos valde illustres licitè contrahantur? Resp. quod sic. Nam ex fine suo honesta sunt, ut constat in explatione dictæ legis, omnia matrimonii substantialia servantis. Uxor legitima est, nati legitimi, & portio illis in ali-

in alimentum constituta vicem legitimæ (secundum quod jus naturale postulat) sufficiens. Accedit etiam hodie usus, non tantum in matrimoniis; sed liberis, quibus frequenter modicum relinquitur majoritate in Primogenitis constituta, esto careant aliis quibusdam civilibus effectibus, tituli, dignitatis &c.

560. Altera quaestio est, an Pater natorum ex tali matrimonio possit pactum ex lege Morganatica initum, quoad bona illis natis eo pacto debita, immutare? Resp. posse in melius, de bonis non vincularis, & allodialibus, si liberis ex primo matrimonio, quæ jure debita sunt, non subducantur; cum de illis etiam ad extraneos testari possit; non autem in minus, seclusa ratione legitimæ excusante, à pactorum observacione, quæ juris naturalis est.

661. Demum quaestio. 3. est, an nati ex matrimonio, ad Morganaticam celebrato, parentibus, vel liberis primi matrimonii defunctis sine prole legitima succedant? Resp. id constare ex ipsa legis Morganaticæ dispositione, de qua n. 557. nisi aliter, & aliter, ex toto scilicet, vel ex parte, jam apud certas gentes in usu sit.

## ARTICULUS VII.

### De matrimonio per Procuratorem contracto.

562. Matrimonium per procuratorem, licet, validèque contrahi, constat ex 32. q. Honorantur, ibi: mulier, si qua amissio citò marito adolescentula laqueum infirmitatis suæ timeret incidere, si vult, nubat tantum in Domino: ut electionem mariti parentibus deferat, c. Veniens. 5. Qui Clerici, vel vocentes, ibi: proposuit, quod mulier cuidam Viro absentis fide datâ se nupturam promisit, c. fin. de Procuratorib. in 6. ibi: Procurator non aliter censetur idoneus ad matrimonium contrahendum, quàm si ad hoc mandatum habuerit speciale. Et quamvis aliàs is, qui constituitur ad negotia procurator, alium dare possit: in hoc tamen casu (propter magnum, quod ex facto tam arduo posset periculum imminere) non poterit deputare alium, nisi hoc eisdem specialiter sit commissum; sic Bonifacius VIII. Nec obstat, quod in contractu

matrimonii requiratur consensus, qui fiat corde, & ore juxta c. 1. de Sponsa duor. nam satis dicitur ore consentire, qui per Procuratorem consentit, de Reg. juris in 6. c. Qui per alium. Sic enim est quasi minister, & organum Domini; sic Gloss. Margin. in cit. c. fin. V. Idoneus;

Verum, ut hoc rectè fiat, plura requiruntur. Primum est, ut Procurator habeat speciale mandatum ad matrimonium, ibi: Procurator non aliter censetur idoneus ad matrimonium contrahendum, quàm si ad hoc mandatum habeat speciale. Quare non sufficit mandatum cum clausula generali; hæc enim non includit specialia, nisi similia expressis; non autem longè majora, inter quæ meritiò reputatur matrimonium, cum sit res gravissima, ut patet ex cit. c. fin. ibi: ex facto tam arduo.

Secundò, ut mandatum speciale sit circa personam determinatam; quia matrimonium non potest esse, nisi cum una, eaque determinatâ; igitur, cum consensus alterius, meo nomine factus, non censetur meus, nisi in quantum est ex mandato meo, Mandatarii consensus absolutus, seu purus in determinatam personam, in quantum est in hanc determinatam, non est consensus mandantis absolutus, & purus, seu meus, si mandatum non fuit absolutum, & purum de consentiendo in hanc; sic gloss. in c. fin. V. speciale, cum communi; si autem mandatum, cum Procuratori daretur, fuit merè simulatum, nimirum ore, non corde, probabilius est, non sufficere, licet mandans post Procuratoris abitum, antequam iste contrahat, consensum etiam cordis præstet, non intantum tamen Procuratori; quia sic Procurator contraheret tuo nomine, à te nulliter, vel saltem merè fictè, constitutus, ageretque ex mandato nullo, nimirum primitus accepto, cum non habeat noticiam ullius alterius; ita Coninch. de matrimo. D. 24. d. 9. n. 72.

Tertiò requiritur, quod Procurator personaliter exequatur mandatum, quin possit constituere alium sibi substituendo, qui ejus loco consentiat, nisi etiam ad hoc habeat speciale mandatum; constat ex cit. c. fin. ibi: in hoc tamen casu (propter magnum, quod ex facto tam arduo posset peri-

periculum imminere) non poterit deputare alium, nisi hoc eidem specialiter sit commissum; requiritur quartò, quòd si qui Procuratorem ad matrimonium suo constituentis nomine contrahendum constituit, in consensu & mandato suo habitualiter perseveret, saltem pro tempore, quo Procurator actu contrahit; consentiendo nimirum in alterum, & reciprocum illius consensum acceptando. Nam matrimonium coalescere nequit, nisi mutuo principaliter contrahentium consensu, saltem moraliter coexistente. Quare non obstat, si mandans, postquam Procuratorem legitime constituit, intermedio tempore dissentiat; modò hoc dissentiu retractato, priorem consensum denuò præstet, & habeat, dum Procurator contrahit. Quia sic verè contrahit ex mandato legitime accepto, & adhuc existente, dum Mandatarius operatur; ita Sanchez. l. 2. hic D. ii. n. ii.

166. Ex hoc colligi, si mandans, ante consensum à Procuratore præstitum, revocavit consensum suum, vel mandatum, nullum fore matrimonium, licet Procurator, & alter, ignorantibus revocationem, contraxerint; sic c. fin. cit. S. Sanè. Nam in hoc contractu matrimoniali consensus contrahentium adeò essentialis est, ut, licet Ecclesia, vel Respublica, in aliis contractibus humanis & politicis consensum eorum supplere possit, id tamen in hoc non valeat, ut constat ex cit. c. fin. ibi: sine quo firmitatem habere nequit; id, quod procedit, etiam si mandans, revocando mandatum, violaret juramentum præstitum de non revocando. Nam si reipsa revocet, quamvis illicite, matrimonium Procurator contrahit absque tuo consensu, quod verum est. I. licet revocatio fiat solum interne; quia sic deficit consensus cordis, & consensus oris, (sublato mandato) non est tuus, seu nomine tuo, cum id habeat ex vi mandati habitualiter perseverantis. Verum est. 2. licet revocatio fiat solum tacite; ut si post datum mandatum contrahas, vel mandes contrahi tuo nomine cum alia.

167. Coll. 3. Non requiritur tantum, quòd tunc, quando Procurator actu contrahit, etiam in mandante sit actualis consensus, Physicè existens; sed sufficit, quòd actu non dissentiat, & prior consensus

habitualmente perseveret. Nam sic habetur mutuus consensus moraliter coexistens; quod sufficit ex dictis. Illud tamen necessarium est, ne Procurator limites mandati excedat in his, quæ pertinent ad conditionem, & formam substantialem. Nam in eo, quo excedit, non agit ut Procurator constitutus, sed ut homo privatus; adeoque deficit constituentis consensus in forma substantiali; sine quo non fiat matrimonium, consequenter nihil agitur; ut colligitur ex L. diligenter. ff. mandati.

Difficultas est, an requiratur, quòd 568. constitutio Procuratoris fiat coram Parocho, & testibus? videtur affirmandum ex eo, quòd Parochi, & testes requirantur, ut deponere possint de contractu matrimonio; seu consensu contrahentium; quod præstare non possunt, nisi præsentibus sint, cum ad hoc Procurator constituitur. Sed contrarium omnino tenendum est cum communi. Quia Tridentino satis sit, si testari possint de contrahentium consensu dato per verba de presenti, vel per se, vel per alium, qui per legitimum instrumentum coram illis doceat, sed ad hoc speciali mandato instructum. Ex hoc enim constat, consensum Procuratoris constituti, quantum externe percipi potest, esse juridicè, & communi jam usu passim recepto consensum constituentis; quo posito caventur sufficienter mala, quibus Concilium cautum esse voluit per præsentiam Parochi & Testium.

Hinc not. non exigi à Concilio, ut 569. Parochus & testes deponere possint, de valore matrimonii (hic enim pendet etiam à consensu cordis, & multis aliis, quorum tamen notitia non exigitur) sed tantum de matrimonii externo contractu, vel per se, vel per Procuratorem, aut interpretem; quòd fieri potest, licet ignoret valorem mandati; & ex hoc ostenditur, quomodo matrimonium valide celebrari possit inter absentes per epistolam, servatà nihilominus formà Tridentini. I. enim per epistolam fieri potest, traditio, & acceptatio, uti fiebat jure antiquo L. mulierem. ff. de Ritu nuptiar. deinde Sponsa coram Parocho, & testibus, lectà Sponsi epistolà, quà scribit, quòd se illi tradat in maritum, & acceptet reciprocam traditionem ejus, si consentiat &

T

ipsa,

ipsa, & hæc quoque coram iisdem, & ipsa consentiat, & Sponsi voluntatem acceptet. Ubi clarè liquet, mutuum consensum, quo fit traditio, & acceptatio, fieri coram iisdem Parocho, & Testibus.

570. Quando autem dicitur, eandem solemnitatem requiri ad dandam commissionem, faciendi aliquem actum, qui ex statuto requiritur, cum sit ipse actus; consequenter, cum, ubi urget Tridentinum, nemo possit absque præsentia Parochi & Testium matrimonium contrahere, nemo quoque poterit ad hoc alteri commissionem dare. Verùm paritas locum duntaxat habet in casu, quo eadem ratio in actu & commissione reperitur; non autem, quando planè diversa; qualiter fit in præsentis casu. Nam ex mandato clandestinè dato ad nuptias publicè celebrandas non sequuntur ea inconuenientia, quæ ex matrimonio clandestinè contracto. V. quæ diximus supra.

## ARTICULUS VIII.

### De Concubinato.

571. Sicut in duplici classe dantur *Concubinae*; aliæ, quæ in re Uxores erant, sed matrimonio, non solemniter tantum, Viro copulate; aliæ autem nullo; præter quod inter concubinam primo modo acceptam, & Uxorem præter dignitatem nihil interesse putarunt Juris-Consulti, ut videri potest apud Gonzalez in c. 6. de Cohabitatione Cleric. n. 4. sic Concubinitus alius est, solutus, nempe fornicarius, quo mulieres solum libidinis causâ teneri solent ex arbitrio in temporali solum consortio thori; alius autem conjugali vinculo ligatus, quo mulieres Viris matrimonio non solemniter copulate teneri solent, in consortio thori, animo perpetuò manendi simul, ut notauimus in præmissis qq. De primo agit Tridentinum Sess. 24. de Reform. c. 10. ubi ait: *Concubinatus solutus, grave peccatum esse, præsertim si sit soluti cum soluta; gravissimum autem, si soluti cum ligata, vel e contra: quia tamen non defunt, qui velint, concubinas etiam Jure Canonico permissas esse; ideo de hoc dicendum. Pro quo nota, esse, discrimen inter meretricem, pellicem,*

& concubinam. *Meretrix* est, quæ multorum libidini patet, & corpore suo questum facit; unde à merendo meretrix dicta est. D. Lidorus l. 10. etymol. cap. vii. du. 34. dist. l. palam. 44. ff. de ritu nuptiarum. Requiritur ergo, ut femina meretrix dici possit, ut multorum libidini pateat, sufficit autem duorum numerus; unde si femina duos recipiat ob questum, parataque alios quoscunque excipere, meretrix dici potest, cap. meretrices 32. q. 4. Pellex multum à meretrice distat; significat enim mulierem, consuetudinem habentem cum conjugato, cui uxor adest, l. 44. ff. de V. S. ita enim dicta est à pellendo, eò quòd legitimam Uorem pellat; Gellius lib. 4. noctium, cap. 3. Concubina, ut opponitur conjugatæ, descripta est præcedenti numero; sicut etiam ligata, quæ tamen Uxoris honorato nomine non gaudebat; quibus positis;

572. *Quæstio est, an concubinitus solutus Jure Canonico sit permissus? Frequens est argumentum, quoad persuadendum, licitum esse concubinatum (hoc est, concubitum cum muliere domi retentâ, libidinis causâ, nullo vero matrimonio copulatâ) communiter utuntur Hæretici, & pseudo-Catholici, quibus vitæ licentia licitum facit, quod libet; præsertim ex prava legum & Sacrorum Canonum interpretatione. Hinc ad palliandam suam libidinem, & concubinatum, dicunt, ex ipso jure Ecclesiastico constare, non habenti Uxorem, licere habere Concubinam. Nam in c. Is, qui, dist. 34. habetur: 15, qui non habet Uxorem, & pro Uxore Concubinam habet, à communione non repellatur; tamen ut unius mulieris, aut Uxoris, aut Concubina sit conjunctione contentus. 2. ex c. Christiano, quod immediatè sequitur ibi: Christiano non dicam plurimas, sed nec plures simul habere licet, nisi unam tantum, aut Uxorem, aut certè loco Uxoris (si Coniunx deest) concubinam.*

3. ex c. solet. 32. q. 2. arguunt, ibi 573. concubinatum permitti saltem tunc, quando habet quattuor sequentes condiciones. 1. si consistat inter Cælibes; 2. si absque animo procreandi liberòs; 3. si ad fides, ne unus eorum alteri jungatur; 4. si maneant simul ad tempus, donec aliam dignam honoribus, & facultatibus suis

fois invenerint; ex c. *Concubinae*. 32. q. 2. ibi: *Concubinae ad tempus adhibita, nec (etiam) concumbant causa filiorum) iustum faciunt concubinatum suum*: Ex quo inferunt; ergo cum exclusio unius sit inclusio alterius, licet habere Concubinas perpetuas: s. in c. 6. dist. 34. habetur: *non licet Vobis habere Concubinas, quas postea dimittatis, & ducatis Uxores*; ex quo deducunt (ac ejusmodi Juris Canonici textus sine discrimine coram aliis producant, ut vitæ licentiam persuadeant) ergo licet habere concubinas, quæ non dimittantur nec ducantur Uxores.

574. Confirmant ex eo. 1. quia Concubinatus dicitur *legitima conjunctio* L. 3. §. 1. ff. de Concubinis, ibi: Nam quia concubinatus per leges nomen assumpsit, extra legis poenam est; id est, per legem Juliam de maritand. ordin. Ut docet Cujacius in L. Messurinus 144. ff. de Verb. signif. item tacita consuetudo, L. si qua illustri, s. c. ad Orfician. ibi; sin autem concubina liberæ conditionis constituta, filium, vel filiam explicita consuetudine ab homine libero habitaproceaverit. Deinde, concubinatus est accessus certi ad certam, domique retentam; ex qua utriusque parenti notæ proles nascitur, ut colligi non malè potest ex c. per tuas 10. de probat. Denique quia Concubina ab Uxore solâ animi destinatione differt L. Concubinam. 4. de Concubin. adeo, ut si ingenuam mulierem, cum qua secundum leges potuit celebrare matrimonium, in concubinatu quis retineat sine testatione hoc manifestum faciente, necesse ei est, vel Uxorem illam habere, vel incidit in poenam legis Juliae de stupro. L. in concubinatu. 3. in princip. eod. tit. juncta L. in liberæ 24. de ritu nupt.

575. Pro vera istorum Canonum intelligentia suppon. ex dictis, Nomen *concubinae* in jure antiquo duplicem significationem habere. 1. enim significabat mulierem, verò matrimonio copulatam; sed contracto sine solemnitatibus prescriptis, 2. mulierem, nullo matrimonio (atque adeo nec solenni, nec non solenni) verè copulatam; sed solam domi retentam causâ libidinis cum illa exercendam, cum qua scilicet vagus ac solutus esset Concubitus, ut not. Barbosa in c. 1. dist. 33. Adversarii hanc distinctionem, in Jure Canonico certissimam, non observantes, vel observare nolentes,

Tom. II.

T 2

in dictis textibus accipiunt nomen *Concubinae*, non in prima, sed in secunda significatione; usurpatione pessimâ, nec etiam ab antiquis Canonibus unquam cogitata. Quare ad. c. is, qui, Resp. ibi non aliud dici, quàm non habenti ullam Uxorem (scilicet nec primariam, nec secundariam; seu nec solenniter, nec minus solenniter ductam) licere habere vel Uxorem (nimirum Uxorem primariam) hoc est, mulierem solenniter ductam, vel *concubinam*, hoc est, mulierem sibi matrimonio copulatam, etiam sine solemnitatibus, de quibus n. 138. Quod autem *Concubinae nomen* ibidem sic accipiatur (nimirum pro verè conjugata, sed sine solemnitatibus) pat. 1. ex c. 1. dist. 33. ubi cum dicitur: *eum non posse sacro ministerio deservire, qui post baptismum secundis nuptiis fuit copulatus* (hoc est) vel aliam solenniter accepit, vel *Concubinam duxit*: expressè notat glossa V. *Deservientes*: quòd intelligatur *concubina*, nimirum mulier, quæ ante, vel post Uxorem ducta fuit. Deinde glossa ad c. Is, qui, V. *Concubina*, expressè habet, quòd nomen *concubinae* ibi accipiatur pro ea, quæ cognoscitur Uxoris affectu, sed fuit ducta cum solemnitate, nimirum, substantiali; addens: *Et tamen lex concubinam vocat*; ergo in eo c. *Concubina* non accipitur pro muliere nullo modo ducta, & cognita affectu solùm fornicario adulteri &c. & sic expressè Barbosa cit. n. 1. qui prædictam prohibitionem ex eo factam docet, quia qui post mortem primæ Uxoris ducit Concubinam, & carnaliter cognoscit, evadit bigamus propter duplex matrimonium: at hoc non stare, si ibi *Concubina* acciperetur pro muliere, nullo modo copulata Viro; per verum matrimonium; sed solùm vivente cum eo in vago, & soluto concubitu. Et hoc sensu etiam accipitur nomen *Concubinae* in cit. c. *Christiano* (quod desumptum est, ex Isidoro de distantia novi, & veteris Testamenti) ut expressè not. gloss. ibid.

Ad. 2. ex c. *Solet* Resp. 1. illud C. non esse canonè, sed continere tantum responsum S. Augustini ad quæstionem: *an debeat dici matrimonium inter eos, qui causâ incontinentiæ contrahunt?* ad quod respondit, quòd sic; dummodo sic conveniant, ut perpetuo deberent simul esse, & non vitent prolem: sed si conveniant, ut ad tempus sint simul;

simul; vel ut vident prolem, non esse conjugium inter eos. Deinde Resp. 2. protus in eptè dictum capitulum ab adversariis & accipi, & citari cum illis quatuor conditionibus. Nam secunda conditio (si absit animus procreandi liberos) non habetur in cit. c. sed planè oppositum; cum, ut inter illos sit conjugium, expressè requiratur, ut absit animus, & intentio vitandi prolem, licet non adsit animus eam procreandi. Deinde ex illis Verbis, dummodo sic conveniant, ut perpetuò debeant esse simul, manifestum est, protus falso ex illo c. induci quartam conditionem (si maneat simul ad tempus) cum expressè dicatur, non esse inter eos conjugium, si conveniant, ut ad tempus sint simul; & de concubinato nec verbum contineat; sed solum loquatur respondendo ad quæstionem de matrimonio, causâ incontinentiæ contracto, ut constat ex n. 567.

577. Et hoc etiam manifestum fit in cit. c. solet, non esse sermonem de concubinato (quem adversarii exinde sibi licitum volunt) prout nimirum significat vagum, & solum concubinatum Viri & feminæ sine animo perpetuò vivendi simul; sed tantum ad tempus, quousque libidini placet; nec etiam de concubina, quæ assumitur in consortium thori sine animo perpetuò vivendi simul; hoc enim nec in cit. c. nec in ullo alio conceditur, & in Trident. sup. n. 571. cit. gravis peccati damnatur. Denique prima quoque conditio (si consistat inter Celibes) cum fraude ponitur. Ex hoc enim volunt, solutis (ac nullo modo conjugatis) licere consortium thori ad tempus, modò non habeant animum procreandi liberos, & neuter eorum alteri tertio jungatur; quod tamen falsissimum est, & planè alienum à mente S. Augustini, qui est Author illius textus, ut constat ex gloss. ibid. in casu. Nam de hoc nullum verbum, imò oppositum ibi clarè habetur, ut pat. ex n. 576. ubi continetur totius capituli summa.

578. Ad 3. ex c. Concubina, not. ex Bellarm. l. 2. de Concil. c. 8. argument. 11. apud Barbof. in c. Non omnis 32. q. 2. n. 2. Concubina nomen sumi, vel pro muliere, quæ assumitur in consortium thori sine mutuo consensu perpetuò manendi simul, & sic

est concubitus fornicarius, & solutus: vel pro ea; quæ ducitur cum eo consensu, sed privatim expresso, non per publica instrumenta, & sic est Concubitus ligatus; quo posito: Resp. ibi excludi concubinas ad tempus; hoc est, concubinas illas, cum quibus fiat concubitus illicitus, & consortium thori fornicarii; ab hoc autem malè fieri argumentum includens, ut liceat perpetuò habere tales Concubinas; nisi per concubinas perpetuas intelligant mutuo consensu (saltem privato) ductas, & assumptas ad thorum conjugalem per matrimonium saltem non solenne. Deinde, valde malè ab earum concubinarum temporalium exclusionem fit argumentum ad inclusionem talium pro semper. aliàs, cum textus dicit: non facies tibi sculptile, ut adores illud; liceret concludere: ergo idolum non sculptum adorare licebit &c. Imò ex illa particula Nec, à fortiori concluditur, nec per concubinas domi etiam perpetuò retentas, si scilicet non fiat affectu conjugali, justificari concubitus, licet fiat causâ filiorum.

Ad 4. ex c. 6. dist. 34. eadem est responsio, quæ ad 3. Est enim sermo de Concubinis, mutuo consensu matrimoniali, licet non solenni, assumptis in thorum conjugalem; non autem concubitus solum temporaneum. Illæ enim dimitti amplius non possunt; cum hoc ipso assumptæ sint ex mutuo consensu ad perpetuò manendum simul; nec etiam illis dimissis, induci Uxor alia, ne fiat polygamia. Concubinis autem (ad concubitus duntaxat solutum, & meretricium) dimissis, licet Uxorem ducere, aliàs non impedito; sed ex hoc nihil concluditur pro concubinato per adversarios intento.

Illud hic adhuc not. i. Bellarm. num. cit. num. 578. existimare, in c. Non omnis, de quo diximus supra, nomen concubina non accipi pro muliere in consortium thori assumpta ex mutuo consensu, perpetuò manendi simul, seu animo conjugali, publico, aut privato; sed pro muliere sine tali consensu assumpta, consequenter nullo modo, etiam minus solenniter, ducta. Ex quo inferri posset, à nobis dictum c. Non omnis, non esse

esse recte allatum, ad probandum, mulierem minus solemniter ductam, ob solennitatis defectum, non esse dignam iure antiquo habitam, honorato uxoris nomine. Ratio Bellarmini est; quia ibi textus loquitur de Concubina, sicut de ancilla; seu serva, manente in statu servitutis; sed hæc, licet à Patrono carnaliter cognoscatur, per hoc non censetur ducta etiam minus solemniter, aliàs si eam affectu maritali Patronus cognosceret, fieret ingenua, nec maneret in statu servitutis; Ergo.

§81. Verum ex hoc aliud non sequitur, quam ancillam, etiam postquam à Patrono carnaliter cognita est, quin liberaverit eam à statu servitutis, non esse ductam à Patrono solemniter (nam ex legitimo, seu solenni matrimonio ingenua, & libera fiebat) non autem, non esse ullo modo ductam; aliàs Filium Abrahæ, natum ex Agar ancillâ debetemus dicere susceptum, ex adulterino concubitu. Et ideo Barbof. cit. in c. Non omnis 32. q. 2. num. 4. Connubium inter impares non vocat nullum, aut simpliciter illegitimum; sed minus legitimum.

§82. Occasione poenarum, quas Tridentinum supra cit. statuit in concubinatum solum, quaestio fieri potest, an hoc crimen (cum concubinatus sit crimen mixti fori, ut docet Farinacius in *praxi criminali* quest. 8. num. 131. Cum Azor. p. 2. lib. 3. cap. 53. q. 2. & aliis) semel punitum per viam correctionis à Iudice Ecclesiastico, præventionem inducat sic, ut à seculari deinde nequeat puniri? Resp. negativè. Quia licet in aliis casibus mixti fori non condignè punitus in uno iudicio, possit in alio iterum puniri, quia crimen in utroque foro ad punitionem deferretur: in hoc tamen crimine est speciale secundum

cognitionem, ob finem, propter quem deferretur ad iudicium. Ad seculare enim deferretur ob punitionem, ne scelera maneat impunita; ad Ecclesiasticum, ad correctionem, ne vitæ licentia malitiosè continuetur. Ideo punitus à seculari, puniri potest quoque ab Ecclesiastico, & vicissim; sic Gabr. Pereira de *Manu Regia* pag. 2. cap. 34. n. 22. apud Barbof. in *Trident. Sess. 24. de Reform. c. 10. n. 5.*

Ad confirm. in n. 574. Resp. de illis, §83: quæ assumuntur ex legibus veterum Romanorum, & Imperatorum gentilium; audiendum D. Thomam, 1. p. q. 98. a. 3. ubi ait: ad primum ergo dicendum, quod in gentibus, quantum ad multa, lex nature offuscata erat. Unde accedere ad Concubinam malum non reputabant; sed passim fornicatione quasi re licita utebantur, &c. Ad secundum dicendum, quod ex prædicta obscuritate, in quam ceciderunt Gentiles, DEO debitam gloriam non reddentes, ut dicitur ad Romanos primo, lex illa processit, & non ex instinctu legis naturalis. Unde prævalente Christiana religione, lex illa extirpata est. Ex his enim rectè concluditur, parum curandum esse de legibus Romanis, & utriusque imperii, & aliis similibus aliarum nationum; quæ concubinatum approbarunt: sunt enim contra dictamen rationis naturalis, & per consequens injustæ, utpote ab offuscata ratione provenientes; & fortassis ea iura intelligi possent, de concubinatu non soluto, sed naturali, & ligato, concubinæ sumpto nomine pro muliere valide, sed minus solemniter assumpta in conjugium, ut supra dictum est.

§83: (o): §83:



T 3

QUÆ-